Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

1160.

DA Box

No. 2156.



M. Tuscher fecit

BIBLIOTHECA
REGIA
HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

PHRYGIS ÆSOPI

FABVLÆ, CARMINE ELEGIACO PERSPICVE ET ACCVRATE REDditæ, quarum lectio non tantùm iucunda, ſed & utiliſſima ſtudioſæ Literarum iuuentuti futura eſt.

ITEM

PVGNA RANARVM ET MVrium Homeri carmine hexametro reddita

A

HIERONYMO OSIO Turingo, Poëta L. à R. & I.

Cum Gratia & Priuilegio Imperiali ad annos decem.

VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOANNES CRATO.

ANNO M. D. LXIIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

¶ In obitum Laurentii Nicol: Nicol

[illegible]

Larua tibi fuerat non laurea danda poetae
Quem praestare negas sed simulare pater
Quid tibi cum Cygno uates cedente sonoras
Cum tua sint nullo carmina dura sono
Talia non laruis sed vera laude poetis
Munera conueniunt qualia Larua geri

¶ In obitum [illegible]

[illegible] Hos circumstantes, [illegible] cum forte sederent
Esse [illegible] fuerant quos [illegible] ille duo.
N: Ut Cygnus haud [illegible] mendacia [illegible] hoc
Versiculum [illegible] unico [illegible] et inepte tuum
Quae sit inepte tui sententia [illegible] versus
Authoris sensum, nota fabella docet
Ante focum [illegible] sederes, sedentes
Nil [illegible] cygno, res sed agente sua

¶ [illegible] Witeb
O si carminibus certares melius Obi

In Catulli fragmentis [illegible] Othanis caput, addit ibi Interpres: Has [illegible] versus nisi Sybilla, ut ille ait apud Plautum [illegible], legerit, interpretari [illegible] — [illegible]. Volat autem [illegible] adhibere [illegible].

¶ Quid obest [illegible] [illegible]

MAGNIFICIS ET CLARISSIMIS VIRIS, NOBILITATE GENERIS, *virtute, & eruditione præſtantibus, D. Præſidi, Coſs: & Senatoribus inclytæ urbis Vratislauiæ, quæ eſt Metropolis Sileſiæ, Dominis & Patronis ſuis colendis,*

S. P. D.

EST Phrygis Æſopi laudatrix tota uetuſtas,
Quòd figmenta ſagax ingenioſa dedit.
In quibus humani pinguntur imagine mores
Commenti, quo nil doctius eſſe poteſt.
Hæc uarios caſus ſimulacra iocoſa figurant,
Qui mortale ſolent tangere ſæpè genus.
Nam uelut in ſpeculis rerum ſe reddit imago,
Fabula ſic mores arte faceta refert.
Beſtia mortales hic munere functa docendi,
Perſonam uarijs partibus uſa gerit.
Effigies Lupus eſt trucis efferus apta Tyranni,
Naturæ ſimili ſæuit uterq; modo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Impoſtoris habere uicem ſic percipe Vulpem,
Innocuam placidi pectore ciuis Ouem.
Fortis imago uiri Leo; pingit Aſellus inertem,
His etiam ſcenis plumea ſeruit auis.
Nec figmenta iocis hæc tantùm dulcia ludunt,
Serius, ut credas friuola, ſenſus ineſt.
Beſtia mortalem dum perſonata loquendo
Exprimit, illa uicem non ne docentis obit?
Mille uiæ, per quas rudis informanda Iuuentus,
Ingenuæ tenerum dum terit artis opus.
Fabula ſed plus his iuuat uſa lepôre iocandi,
Imbibit hac uitam multa docente puer.
Illa nec ingenijs tantùm puerilibus augent
Vim commenta, coli qua rude pectus amat:
Quin matura ſequi ſolet hos ſapientia ludos,
Seria res quondam ſi qua gerenda ſubit.
Nil capit humanas quia plus, quàm Fabula, mẽtes,
Quæ quaſi picturæ eſt multa monentis opus.
Maximus hinc omni figmentis talibus æuo
Semper honos, ſemper gratia magna fuit.
Quin ipſum ſimulacra Deum quoq; talia rerum,
Quas uarias illis pingit ubiq;, iuuant.
Clauſa Nohæ Coruum dimiſit ut arca uolantem,
Fabellæ ſimilem remnẽ fuiſſe negas?
Pulcrior hæc qua re non eſt pictura? notari
Dulcis id à nobis cuius imago docet:

Deſerit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Deſerit hunc qui non conſtanti pectore cœtum,
Quem notat arca Dei, uita beata manet.
Sunt reduces Eſaias, & Paulus ad arcam,
Sunt alij, quibus eſt cura docere Deum.
Sic Rex Iſaides, Ioſiasq; Amone Princeps
Patre ſatus, pleni qui pietatis erant.
Deniq; ſic omnes qui propagare laborant
Doctrinam, fas eſt, qua celebrare Deum.
At qui non curant quaſſatam fluctibus arcam,
Et deſertores illius eſſe ſolent:
Hi ſibi pernicies, alijſq; teterrima uiuunt,
Atq; ſtatu uitæ proſperiore carent.
Dogmate ſunt tales Seruetus & Arius uno,
Chriſte lues populis exitioſa tuis.
Sic omnes, quibus eſt Epicuri degere uitam
Moris, & à uero mens aliena Deo.
Qui deſertorem reddunt hoc nomine Coruum,
Ad ſocium cui non cura redire gregem eſt.
Ingluuies delectat auem quam tetra uorandi,
Eſſeq; crudelem uox ſua dira notat.
Quæ mores natura refert trucis alitis horum,
Qui modo uentris ſunt turba miniſtra ſui.
Cui ſatis ut faciant, plenas errore tueri
Doctrinas, ueriti nil ſtabilire, ſolent,
Et uexare, ſuis nolunt qui cedere fucis,
Quiq; Deum rectè relligione colunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Talia uerarum paßim ſunt obuia rerum
Ludicra luſtranti ſcripta profeſſa Deum.
Manuidæ his affine põteſt ænigma uideri
Simſonis, hoc quodam tempore tale dedit:
Membra uoracis erant (uidi) fœcunda ciborum,
Et fauus in forti corpore dulcis erat,
Hoc aliud quid erat, tectis niſi ludere uerbis
De re, cauſa quidem cui ſua certa ſubeſt?
Cur naſcatur apum putri de carne Leonum,
Turba nocens crabro ſanguine ſicut equi.
Corporeq; ex aſini ſcarabæus inutilis exit,
Noſtra fero ſeſe mutat ut angue caro.
Eſt Leo, cuius apes exire cadauere narrant,
Chriſtus, ab hoc naſci nos moriente patet.
Inde cibus reddens uitæ morientibus uſum
Ille, frui nobis quo ſine fine datur.
His doctrina Deum cœleſtis ubiq; figuris
Dictorum uarias res monuiſſe probat.
Vt uelut illecebris nobis accendat amorem
Diſcendi ſtudio dogmatis ille ſui.
Ergo figuratas cùm proſit habere loquelas,
Dum teneras mentes erudit artis opus:
Hîc operæ precium meritò feciſſe uidebor,
Qui figmenta, licet non mea, docta cano.
De uitæ licet officijs hinc ſumere formas,
Hinc præcepta peti moribus apta licet.

Hinc

Hinc Phœbi poterunt Tyrones diſcere linguam,
Res etiam, quarum maximus uſus erit.
Quaſq; ſequi ſoleant docti ſermone figuras,
Verba ſagax quarum congrua nectit opus.
Fabula colloquijs ſi miſta ſit inter amicos
Comiter, inq; loco, non ea laude caret.
Indicat hæc placidis narrantem moribus uti,
Et prudente uirum uiuere mente docet.
Vt: ſi, Mercurium ceu quidam dona petiuit,
Narret, & ad mores applicet hoc hominum:
Eſuriens & rebus egens en Ruſticus orat,
Eſt cui Maia parens, ſupplice uoce Deum.
Vt peregrinanti ſibi præbeat obuia merces,
Seruata, ſpem Diuo dimidiuq; facit.
Suſcipit aure preces facili Deus aliger ultro,
Datq; quid illarum, quas petijſſet, opum,
Et plenos fructu, quem gignit Amygdalus arbos,
Præbeat huic calathos ut uia lecta, facit.
Hoc auido quamuis non reſpondere uidetur
Munus, id haud precij nullius eſſe uidet.
Conſulit ergo boni, quam nulla pecunia mercem
Emerit, inq; forum ſpe celer æris abit.
Venditor ut precium ſic lucra ſequentia cogat,
Cumq; alijs uentri debita rebus emat.
Obuius huic ſe ſed properanti Atlantius offert,
Et, prius ut prædam diuidat ille, monet.

Hic fore promiſsi memorem ſe, callidus inquit
Ruſticus, (ut dixi) dimidiumq; dabo.
Nucleus inde Deo datur huic, & uile putamen,
Quale ſuum fructus nominis huius habent.
Multi participes cùm fiunt dante bonorum,
Accepêre quòd hæc, non meminere, Deo.
Hæc bona partiri cum turbis more ſcholarum,
Qui debere ſciunt ſe tamen illa, ſolent.
Quòd ſi narrandi Fabellas ſola iuuaret
Vtilitas, magni ponderis illa foret.
Quin re iudicijs his hac etiam acrior exit,
Rerum cognitio ſic quoq; gaudet ali.
Et lepor eſt per ſe manſueti pectoris index,
Qua uirtute nihil pulcrius eſſe ſolet.
Quæ, qui ſæpe odijs, iræq; furoribus ardent,
Lenit, & inter ſe conciliare ſolet.
Mæſticiam pellens animis hæc gaudia reddit,
Adfectuq; geri res meliore facit.
Vltimus (hic nec ſum ſine teſte) Lutherus Elias,
Fertur in hoc uerbis talibus uſus opus:
Nil Phrygis inuenies ſapientius eſſe Magiſtri
Poſt ea, quæ ſacrum ſcripta uolumen habet.
Maxima doctorũ memini quoq; fama Melanthon
Iudicium hac de re quale ſubinde tulit.
Qui Fabellarum lectores eſſe monebat
Addictos ſtudijs more frequente greges.

Vtile conſilijs bonorum parere uirorum,
Quos dedit ingenijs acribus eſſe Deus.
Ergo legant omnes, ſua dant qui nomina Phœbo,
Has & theſauri diuitis inſtar ament.
Vt ſolet in ſpeculo facies formoſa probari:
Sic exempla peti moribus inde ſolent.
Tercentas numeris tales ego pene ligaui
Fabellas, redigens in ſua ſua metra, meis.
Huic operi fidos quærebam forte patronos,
Dicere conſilium iuſſus Apollo fuit.
Ille nouem ſecum quod iußit inire ſorores,
Tutorem cautæ quærere mentis opus.
Hinc, ubi rem ſecum deliberat altius, inquit:
Artis eſt noſtræ cultor amice rogas:
Tale patrocinio quorum paſſurus in orbem
Sis exire, tuum quale Poëma ſolet.
Ergo meo talem rem cautius exige ſuaſu,
Quiq; fauent ſtudijs his tibi quære uiros.
Si caput Elyſij te pes tulit orbis ad urbem,
Quale ſit hic hominum ſcis pietate genus.
Moribus humanis ſit quale, fideq; iuuandi
Pieriæ largis ſumtibus artis opus.
Vidiſti, quæ mundicies, formæq; uenuſtas
Virgineo tribuat uel decus omne gregi.
Ingenio quales, quales uirtute miniſtrent
Lege magiſtratum conueniente uiri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sic ut clara uiris præſtantibus altera non ſit
Vrbs magis, hoc uerum conſcia fama probat.
In qua qui rerum ſummi moderantur habenas,
Ciuibus hi uiuunt lumina quanta ſuis?
Inſtruit his quàm magna ſuas prudentia mentes,
Qua duce felices rebus adeſſe ſolent?
Quàm generoſa faces fouet his in pectore uirtus,
In tali fortes quæ ſtatione facit?
Quàmq; ſenatores decorat uenerabilis ætas,
Obq; ſuos annos digna ſenecta coli?
Conſilijs matura bonis regit illa labores,
Officium quales tale mouere ſolet.
Vix dici res illa poteſt, quàm pulcra ſenatum
Hunc facit egregijs aucta corona uiris.
Qui culti ingenuas iuuenili ætate per artes,
Conſilij pollent nunc ope ritè ſenes.
O fortunatas, quibus hoc decus euenit, urbes,
Vt docti patriæ publica frena regant.
Tunc bene res agitur, rerum cùm præſes Apollo
Barbarie regni uim fugiente tenet:
Marte fero pulſo pacem cum Muſa miniſtrat,
Et regit hanc felix artibus uſa ſuis.
Non ego nunc referam, quibus illam laudibus urbē
Ornent progenies huius alumna uiri?
Ingenij excellunt quorum pars maxima donis,
Elyſiam gentem laus ea ſumma manet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quæ fœcunda bonis ceu rebus abundat, & aruis,
    Sic hominum ſollers hoc genus eſſe ſolet.
Ingenijs nulli præſtantibus inclyta cedit
    Hæc regio, quorum nomine mater ouat.
Multa manent claris encomia ciuibus urbem
    Vratislauiam, quæ mea Muſa tacet.
Quæ nũc ut taceam, quibus hæc, uelut arcibus ex-
    Ædibus, & pinnis urbs leuat alta caput? (tat,
Alta ſuo tangunt quæ ſydera uertice turres,
    Quæ ſunt marmoreæ nobile molis opus?
Et quæ ſtant ualidis circum munimina muris,
    Ac clauſam faciunt hoſtibus eſſe uiam?
Vrbs quo ſtructa ſolo iacet, eſt hoc fertile frugũ,
    Alcinoi cernas hic quoq; ruris opes.
Quód ſi diuitias eſt hic ſpectare uoluptas,
    Promere non paruas uel domus una poteſt.
Si, uenale fori quid præbeat area uulgo,
    Aere poteſt iuſto res ſatis omnis emi.
Adde, quód hic æqui nobis tribuantur honores,
    Quódq; ſuum teneat gloria noſtra locum.
Non domus ornatu magis eſt ſpectabilis uſquam,
    Quàm quæ Pegaſeis hic ſtat aperta choris.
Noſter ubi canæ Vinclerus honore ſenectæ
    Iam grauis, & claro nomine munus obit.
Dum docet Aöntam Pindi iuga ſcandere pubem,
    Quò, niſi trita ſibi ſit uia, nemo uenit.

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Non modò qui natos, cretas quoq; patre puellas
　Se, Latio poßint, erudit, ore loqui.
Res audita mihi, uidi cum patre loquentem
　Vnam natarum diſſeruiſſe ſuo.
Sit non parua licet Germania, denegat urbem,
　Quæ ſimili rerum floreat uſa ſtatu.
Omnia tam bello (nos uidimus) ordine fiunt,
　Conueniente geri nil ſine lege ſolet.
Sic mihi quærenti tutores dixit Apollo,
　Cui parere meum ſum ratus eſſe Deo.
Ergo tuum hoc famæ celeberrimæ laude Senatus,
　Inclyte uirtutum nomine, fecit opus.
Quod precor accipias placido clariſsima uultu
　Tantorum patriæ cara Corona uirûm.
Hoc fore tum gratum, tum credimus utile ſcriptū,
　(Quod Deus omnipotens annuat eſſe) ſcholis.

Veſt: Mag: deditiß:

Hieronymus Oſius
natus in oppido Tu=
ringiæ Schlotheim.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

IOHANNES MAIOR

IOACHIMUS.

Omnibus in brutis morum ſimulacra notauit,
Omnia qui mira condidit arte, Deus.
Vtq; homines fugerent mala, uirtutemq; ſequan-(tur,
Hic uitæ ſpeculum iuſsit habere feras.
Sic feritas odioſa Lupi, fraus perfida Vulpis,
Sed laudem egregij facta Leonis habent.
Coniugij leges ſeruant in amore Columbæ,
Et pia ſimplicitas digna fauore uenit.
Vtq; animis teneris uitæ monſtretur imago,
Et morum exemplar quiſq; tenere queat:
Tum res humanas brutorum in imagine pingit,
Et ueros caſus fabula ficta notat.
Hoc ergo ſtudium per ſe licet utile cunctis,
Oſius Aönia dulcius arte facit.
Facta Ducum, et pugnas grandi qui carmine ſcri-(pſit,
Mox parui Culicis concinit auſa Maro.
Sic etiam paruis magnum addit rebus honorem,
Non paruum famæ quem manet inde decus.

FABVLÆ ÆSOPI.

Notus egente cibis alio paret ales ut eſcam
 Gallus, adeſt uerſo quærere grana fimo.
Vnio pro quibus huic ſed gemma reperta laborem
 Fallit, & optato fœnore tota caret.
Hinc ait: illudens cur rem fortuna miniſtrat,
 Quæ prodeſſe mihi nil precioſa poteſt.
Triticeo minus illa mihi, licet optima, grano
 Commodat, inde cibi ſpes quia nulla uenit.
Sit ſpecioſa licet, rutilo nec uilior auro,
 Nil tamen hæc uſu deficiente iuuat.
Quo quia nulla mihi datur inde latente uoluptas,
 Rem facit ut precij nullius eſſe putem.
Grana cibum nobis aptum Cerealia præbent,
 Gemma poteſt oculos paſcere, nilq; gulam.
Tollere quam nolim, quia nec decus inde parari,
 Vlla nec utilitas hac mihi dante poteſt.

EPIMYTHION.

Res ignoranti nil optima commodat uſum,
 Ingenuas artes non rude uulgus amat.

LVPVS ET AGNA.

Agnam flumineas ſorbere notauerat undas
 Inferiore lupus, quàm ſtetit ipſe, loco:

Imminet, & cauſam mox inuenit arte nocendi,
  Oreq́; ſic pauidæ uerba minace facit:
Cur turbare mihi non pes tuus abſtinet amnem,
  Ob ſcelus infeſto funere digna mori?
Efficis inuidiæ crimen ſuadentibus auſis,
  Purus ut ad me non defluat inde liquor.
Non impune feres me talem uindice noxam,
  Exitus oſtendet quale patrâris opus.
Huic trepidans ait agna: poteſt quo iure probari,
  Quod tua commiſſum falſa querela refert.
Quin manare ſuas ad me facit alueus undas,
  Signa ream facti quæ manifeſta negant.
At maledicis enim Lupus inquit: an excidit auſo
  Quo tuus exitij uim tulit antè pater?
Quem ſeptem ante ſuæ menſes petulantia linguæ
  Perdidit, ipſe feri criminis ultor eram.
Hanc etiam Agna grauem dũ diluit anxia culpã,
  Non ait hoc equidem tempore nata fui.
Ille, negas uero quam late mollibus herbis
  Nudatam penitus liqueris inquit humum?
Hoc falſum Agna probãs, careã cùm dentibus, in-
  Os orbare meum gramine quiuit agros? (quit,
Tum lupus: eſt equidem nugandi audacia mecum,
  Sed tua uincendi pondere uerba carent.
Corpus erit cœnare tuum mihi lauta uoluptas,
  Sic mulcere gulam te moriente iuuat.
Hæc ait, ac morti deuotam corripit Agnam,
  Et laniata fero robore membra uorat.

EPI-

EPIMYTHION.

Qui, quæcunq; iuuat, patrare licentius audent,
His pudor, exercent dum ſcelus, omnis abeſt.

MVS ET RANA.

Diues opum uictu potientem paupere Ranam,
Conuiuam peregrè Mus aliquando uocat.
Qua ueniente dapum genus exhibet omne ſuarū,
Promit & appoſito fercula lauta cibo.
Et mi carpe bonas Ranuncule lætior eſcas
Dixit, & his hilari mente fruare bonis.
Nil tibi deeſſe puto quorum deſiderat uſum
Mollities auidæ delicioſa gulæ.
Rana uidens uti luxu tam diuite Murem,
Et ſe ſorte frui deteriore, dolet.
Dum terat in limi ſqualore miſerrima uitam,
Ac uiles ſterili carpat in amne cibos.
Inuidiæ ergò feris auſis excogitat artem,
Hoſpitis hac cupiens rebus obeſſe ſui.
Pro meritis gratam non his ſibi defore mentem
Fingit, & ut ſecum Mus uelit ire rogat.
Te tractare pari quamuis ſplendore facultas
Deſit, at eſſe uelis tu tamen hoſpes ait.
Pauperis eſt Ranæ tibi ſi ſpectare uoluptas
Diuitias, uotis moriger eſto meis.
Et tibi cùm uitam natura negârit in undis,
Tutus in his tali lege uiator eris:

Ad calcem patiere meum tua fune ligari
Membra, meam res ſic tuta uenire domum.
Ne quis aberrandi te caſus obire laborem
Cogat, & in uitæ te mala dira trahat.
Paruit incauto Mus blandis pectore uerbis,
Iamq; duo, uiſum qua ratione, natant.
At uectrix imam periura ſubire paludem
Incipit, & Murem flebile mergit onus.
Intentare uidens qui certa pericula mortem:
Ipſe mali uindex non ait huius ero:
Eſt caritura tamen non hæc ultore Tyrannis,
Hanc qui perfidiam uindicet, unus erit.
Crudelem iſta mouent nil uerba minantia Ranam,
Quam iam nil meriti cura prioris habet.
A quo paſta cibis erat hoſpite mollibus, illum
Deſerit infeſtis triſte cadauer aquis.
Nare breui exanimem quē pòſt quia uidit in un-
Mox cupido prædæ miluius ore tulit. (dis,
Et ſimul, annectunt quam Muri uincula, Ranam,
Sic auidæ prædam fecit utrumq; gulæ.

EPIMYTHION.

Non impunè Deo ſcelerati uindice gaudent
Exercere, iuuat quale ſubinde, nefas.

EADEM ALITER.

Herculeo cum Mure ferox bellum acre gerebat
Rana, dabat uires magnus utriq; furor.
Calli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Callidus inſidias Mus arte iuuante minatur,
Remq́; ſub herbarum tegmine cautus obit.
Vnde petens hoſtem dũ palmæ adfectat honores,
Hanc pugnace prior robore Rana tulit.
At dum uincendi nimium ambos cura fatigat,
Et nihil excepto forſitan hoſte timent.
Luctandi ſtudio dum feruent, obruit ambos
Miluius, & prædam raptor utrumq; facit.

EPIMYTHION.

Ambitione mouent ſtolidi dum prælia ciues,
Hoſtibus externis hinc uia facta patet.

DE CANE, ET FRVSTO CARNIS.

Ore uehens carnem nando parat ire per amnem
Accelerante fugam forte timore Canis.
Cui ſub aquis fallax quia fruſti apparet imago,
Spes aliam carnem fingit auara dari.
Sic captare parans modò uanam incautius umbrã,
Ore datæ damnum carnis hiante facit.

EPIMYTHION.

Dum nequit expleri ſat rebus auara cupido,
Officit inuentis lege frequente bonis.

LEO, IVVENCA, CAPRA, ET OVIS.

Capra, Iuuenca, Leo, nec non Ouis ire parabant,
Vt ſocij caperent per nemus omne feras.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sic hoc præda frequens cum parta labore fuiſſet
Venandi, partem quilibet inde petit.
Hinc in fruſta ferunt diuiſam quattuor, omnes
Participes prædæ ſe fore iure putant.
At mox prima Leo pars eſt mea clamat, & addit:
Hanc mihi deberi nemo negare poteſt.
Quam, quoniã uobis præſtantior omnibus adſum,
Qui dare non ueſtrum uult, inimicus erit.
Pars ratione manet me roboris altera prædæ,
Namq; tuli uobis plus tribus unus opem.
Vna laborandi quoq; lege petenda uidetur,
Iure meæ uires quam meruère ſuo.
At dare qui ueſtrum quartã mihi ſponte recuſet,
Sentiet hic cœpti damna futura ſui.
Quid facerent miſeræ, parere pericula cogunt,
Hiſcere non audent hæ prohibente metu.
Poſſe parum iunctis nõrunt ſine uiribus iram,
Quàm uitam melius remq; perire uident.

EPIMYTHION.

Quærit amiciciam quicunq; potentis amici,
Facta ſuperba pati nouerit eſſe ſuum.

LVPVS ET GRVS.

Oſſa uorante Lupo quia faucibus hæſerat unum,
Ille Gruem ſupplex, eximat, orat auem.
Faucibus inſerto roſtro perſuaſa uolucris
Ferre requirenti promta laborat opem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Promiſſam longo rem tentat idonea collo,
Osq; foras nullo penè labore tulit.
Pro quo mercedem tribui cùm poſceret ales,
Grata parum medicæ beſtia dixit aui:
An tibi pro facto merces hæc parua uidetur,
Quòd caput è rictu uiua patente refers?
Præmordere tuum cùm collum impunè liceret,
Præſtiterim pacti pro ratione fidem?

AGRICOLA ET ANGVIS.

Frigore penè mori uiſum quem repperit anguem
Ruſticus, ille ſinu fortè tepente fouet.
Subq; ſuas animo miſerante recondidit alas,
Fotus ut optatam ſentiat Anguis opem.
Inde draco uires recreante calore recepit,
Proq; pio facto triſtia damna dedit.
Autorem meriti letali ſauciat ictu,
Quiq; ſibi uitam reddidit, ipſe necat.

EPIMYTHION.

Qui prodeſſe malis ſolet, his autoribus idem
Incidit in uitæ flebile ſæpè malum.

APER ET ASINVS.

Viſus apro quondam procul obuius ire cachinnū
Suſtulit, & ſtultum fecit Aſellus opus.
Ridiculis utens huic fari geſtibus audet,
Et ſalue toties care ſodalis ait.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quanto te ſocium ueterem non tempore uidi,
Quo tibi trita loco tam mora longa fuit?
Num mihi res aperire nouas tua nuncia poſſunt,
Quas alibi miras uideris ipſe geri?
Quin & ineptus Apro ſua non deferre ueretur
Officia, aut operam uoce loquace ſuam.
At quia geſtus Apro ſtolidiſſimus excitat iram,
Vt fatuis mouear moribus huius ait.
Non tamen ipſe meas ego tingam ſanguine fauces
Ipſius, illa loquens, quo uocat ardor, abit.

EPIMYTHION.

Stulticiæ ueniam ſapientior annuit olim,
Et cedunt ſtolidis, qui ſapuere, uiris.

DVO MVRES.

Dum iuuat urbanum luſtrare uirentia Murem
Arua, ſatus ruri Muſculus ire uidet.
Ergo ſalutatum prius excipit ore benigno,
Et ſibi conuiuam ſpondeat ille, rogat.
Annuit hoc, ex urbe recens qui rura frequentat,
Mus, parat aſſuetas ruſticus ergo dapes.
Promitur omne cibi genus, huic quod egena ſupellex
Præbet, iamq; bonis parcere turpe putat.
At iuuat urbe parum genitum tam ruſtica Murē
Cœna, ſuas iactans ergo recenſet opes.
Ruris ait nil ſunt bona, ſi mihi condita ſpectes
Ampla domi, eſt harum grandis aceruus opū.

Ipſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Ipſe quod ut uerum cogare probante fateri
Re, conuiua uelis & meus eſſe rogo.
Ruſticus urbanæ quia captus amore laborat
Lautitiæ, ſe Mus quod rogat hoſpes, obit.
Quo ductore petit conuiua libentius urbem,
Iactatas nimium ſpectet ut huius opes.
Ambo domum ſubeunt, quæ rebus abundat opimis,
Promit & innumeras cœna parata dapes.
Strennuus hortatu lautas capit hoſpitis eſcas
Hoſpes, & oblectant lætius ambo gulam.
Sed dum delicias ſecurus uterq; malorum
Carpit, adeſt, ſtrident quo ueniente fores.
Tum uerò trepidare metu quis cerneret ambos,
In quo præcipuè Mus peregrinus erat.
Tandem, cùm pauidis metuenda pericula ceſſant,
Mus nimis urbano territus hoſpes ait:
Vt ſit amice tibi tantarum copia rerum,
Iudice te quo ſit uita beata frui:
Dum tamen aſſiduo diſcrimine plena laboret
Hæc fortuna, nihil me iuuat, ergo uale.
Pauper enim malim ſecuram degere uitam,
Quàm mala ſæpè pati talia diues opum.

EPIMYTHION.

¶ Eſt ſua diuitijs equidem ſpecioſa uoluptas,
Quæ tamen eſſe graui plena labore ſolet.

AQVILA ET CORNICVLA.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Non Aquilæ frangi teſtudo uiribus olim,
Dum quatit hanc roſtro ſæpe, reperta poteſt.
Inſidias huic ergò ſtruens uolat obuia cornix,
Ac hera conſilij res eget inquit ope.
Res decet arte geri, poſſunt non omnia uires,
Nil ſine conſilio quæ moderante ualent.
In ſummas cœli ipſe plagas contende uolatu,
Hinc tibi teſta petat fortius acta ſolum.
Et diffracta ſuam nudatam cochlea carnem
Promet, & hac eſu te ſinet arte frui.
Paruit his monitis Aquilæ perſuaſa uoluntas,
Sed fraudata cibo regia fertur auis.
Namq; remetiri antè poteſt quàm deſuper auras,
Subdola nil cornix huic ſupereſſe ſinit.

EPIMYTHION.

Conſilio, quàm ui quondam maiora geruntur,
Qua plus calliditas ingenioſa ualet.

CORVVS ET VVLPES.

Caſeus à Coruo ſuper arbore uiſus haberi
Fecit, ut hunc Vulpes uafra ſit auſa dolum:
Quam tenet ille, ſuam cupiens hanc reddere præ-
His audacter auem fertur adorta modis: (dam
Eſt quem nacta ſibi pennarum formā nitorem,
Quàm tua pulcra facit dona ſuperbus honos!
Nam ne, naturæ bona ſint quæ cœtera, dicam,
Te laus augurij non leuis ornat auem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Eſt præſaga tibi mens indice uoce malorum,
  Hac inſigne tuum eſt laude fatente genus.
Quòd, ſi ceu donis alijs, ita uoce ualeres,
  Te uolucrem ſummi non Iouis eſſe negem.
Hac aſſentandi demens ratione mouetur
  Coruus, ut & cantus laude placere paret.
Excidit incautè ſed aperto caſeus ore,
  Mox aue quem Vulpes nacta dolente uorat.
Stulticiæ errorem ridens quæ dixit: inepto
  Nil tam deeſſe, niſi cor tibi Corue poteſt.

EPIMYTHION.

Quem laudante ſtatim capit impoſtore uoluptas,
  Damna ſubinde pati plena pudore ſolet.

LEO ET SENEX.

Æger erat languore Leo comitante ſenectam,
  Robore quæ morbum deficiente tulit.
Ob quam contemnunt animantia cætera cauſam,
  Et uexant odij ui grauiore ſenem.
Quin & Aſellus iners non calce ferire ueretur,
  Cui non ferre poteſt debile robur opem.
Fortunam ille ſuam tum corde dolente gemiſcit,
  His odij cauſam ſeq; dediſſe dolet.
Nulla, ferox quamuis, quem bellua uicerit olim,
  His impune premi ſe gemit ille ſenem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Conciliare ſolet multos qui iunior hoſtes,
Hic inimica ſenex cogitur auſa pati.

ASINVS ET CATVLVS.

Vidit amanter hero catulum fautore foueri,
Qui ſtolidi uicium cordis Aſellus habet.
In gremium recipi domino quem ſæpe notârat,
Et ueſci, largos quos dabat ille, cibis:
Ergo pari inſipiens ſe poſſe fauore potiri
Blanditias geſtu forte ſequente putat.
Hac aſſultat hero ſpe, ſeq; laborat ineptis
Inſinuare, ſequi quos nequit arte, modis.
Peruerſum ille poteſt ſed opus non ferre placendi,
Stultitiæ plagis corrigit unde nefas.

EPIMYTHION.

Adfectare caue rem, quam natura negauit,
Inuitis operam te dare turpe putes.



LEO ET MVSCVLVS.

Feſſa frui ſomno cogebant membra Leonem,
Venandi uehemens fecit anhela labor.
Vicino conſueta loco laſciuia Mures
Vexat, & hanc audax cogit adire feram.
Vnde per hirſutos reptare ſalacius audent
Artus, ſupplicij cura nec ulla uetat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Vt tandem ſomno fugiente prehenderet unum,
  Ille tamen leto quam dare turpe putat.
Mouerit huic quamuis ludendi audacia bilem,
  Beſtiolæ ueniam non tamen ira negat.
Pòſt breuiore Leo ueſtigans tempore prædam,
  Incidit in laqueos decipiente dolo.
Hinc miſer ingenti rugitu concutit auras,
  Dum ciet exitij cauſa dolenda metum.
Hoc, cui captiuo paulò antè pepercerat, audit
  Muſculus, & ſolui uincula roſa facit.
Sic, hoc qui uitam donante recepit, eundem
  Liberat, & meriti fert memor huius opem.

EPIMYTHION.

Sæpe poteſt tutò nec parua potentia temni,
  Paruus opem magno ferre ſubinde poteſt.

CORVVS ÆGROTANS.

Coruus acerba graui minitante pericula morbo,
  Pro me flecte Deos ô prece mater ait.
Et lacrymis his pone modum, ſperare ſalutem
  Te potero ſummum ſollicitante Iouem.
Hos tibi uix, mi nate, parens ait adfore ſperem,
  Quorum ſacra rapax tu uiolare ſoles.

EPIMYTHION.

Qui felice ſtatu multos ſibi comparat hoſtes,
  Rebus in aduerſis huic quis adeſſe uolet?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

HIRVNDO, ET AVICVLÆ.

Cùm linum ſereretur, aues ſapientior illis
Eruerent ſecum ſemen hirundo monet.
Quo creſcente refert orituram graminis herbã,
Sit mirum generi quæ paritura dolum.
At quia uerba fidem non illis facta merentur,
Vox ea nec ſtolidas prouida flectit aues.
Hanc iterum euellant enatam conſulit herbam,
Sed monitis non dant hæ, uelut antè, locum.
His quare ſociam non ſe fore iurat hirundo,
Pro ſyluis hominum quæ colit inde domos.
Carpitur inde breui maturum tempore linum,
Vnde dolos auibus retia nexa ſtruunt.
Stulticiæ ſero quæ crimen inutile damnant,
Conſilium ſpretum tamq; fidele dolent.

EPIMYTHION.

Conſilij neglecta boni fert cura dolorem,
Perniciem, temere qui facit, autor adit.

DE RANIS, ET IOVE.

A Ioue fama refert Ranas petiiſſe, paludum
Vt duce rex illo præficeretur aquis.
Annuit, immenſamq; trabem deiecit in undas
Iupiter, at ſonitu territa turba pauet.
Et primùm terrore metum ſtimulante refugit,
Mox tamen oſtenti quid queat eſſe uidet.
Cumq; uideret iners modò lignum nare per un- (das,
Non ſine contemptu turba ſequente petit.

Iamq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Iamq; nouum riſu Regem illudente ſalutat,
  Inſilienſq; iocos, deſilienſq; capit.
Moxq; dari poſcunt uotis communibus unum,
  Strennuus imperij qui gerat huius onus.
Iupiter ergo nouum dominũ pater annuit hydrũ,
  Quo ſapit hoc ſero rege paluſtre genus.
Quo dominante domant funeſta pericula Ranas,
  Hic facit illarum membra necata cibos.

EPIMYTHION.

Cui libertatem ſua non fortuna negauit,
  Seruili cupiat ne dare colla iugo.

MILVIVS ET COLVMBÆ.

Cùm timidas Miluo pauor angeret hoſte Colũbas,
  Accipitrem iungunt fœdere forſan auem.
Iure uolens illas qui caſtigare uideri,
  Sæuitiæ cauſam iure negante capit:
Arguit imperio non has parêre, necandi
  Inuenit inſontes hac ratione dolum.
Alitis hoc ſæui maiorem homine ſtragem
  Edidit, atq; diu fecerat antè furor.

EPIMYTHION.

Quos natura facit crudeles effera, quenquam
  Horum præſidio triſte tuente regi.

FVR ET CANIS.

Pane dato dum latrantem placare laborat
  Fur, uigil inſidias huic ait ille paras.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Me ſi tecta bonis ſpoliare ſilente licebit,
Vnde cibum ipſe, fames quo ſaturanda, petam?

EPIMYTHION.

Non, impoſtor agat quæ uerbis, aſpice tantum,
Sed quæ corde dolos ipſe tegente gerat.

SCROPHA ET LVPVS.

Scropha laborabat uicino ruſtica partu,
Huic lupus inuitæ ferre laborat opem.
Quin obſtetricem ſus inquit eunte uocari
Te precor, hoc fieri mota pudore uelim.
Reſpuit hæc operam pariendi cura uirilem,
Eſt quia fœminei tale laboris opus.
Sic abeunte Lupo numeroſam hæc edere prolem
Cœpit, & eſt tuto Scropha poſita loco.
Cùm redit ille, dolens ſpe deridetur inani,
Stulticiæ eſſe ſtatim credere diſcit opus.

EPIMYTHION.

Artis opus doctis eludere fraudibus artem,
Hæc exerceri talio iure poteſt.

MONS PARTVRIENS.

Mons prægnante uelut monſtrabat uentre tumo
Et dolor in gemitu parturientis erat.
Maximus attonitos mortales terror agebat,
Res ea ſit monſtrum quale datura timent.
Dum pauide expectat habitura pericula partu
Monte dari Murem parturiente uident.

In riſum anxietas hæc tum mutata quieuit,
Et malè ſtulticiam credula turba dolet.

MORALE.

Rem magnam fallax expectat opinio quondam,
Cui nihil euentu teſte ſubeſſe patet.

CANIS SENEX.

Cùm uenatorem iuuiſſet idoneus olim,
Eſt quo capta frequēs præda tenente, Canis
Iamq; ſequi uires hunc ægra ſenecta uetaret,
Quem tamen officij munia poſcit herus:
Et ueteres operas, curſusq; perinde uolucres,
Verbera nec uerbis addere ſæpe timet.
Cui Canis: immemorem cur mox obliuia tangunt
Te meriti, antè breui quò tibi carus eram?
An feciſſe meo benè nil mihi robore prodeſt,
Dum nequit officio par meus eſſe labor?

EPIMYTHION.

Officij multis uario qui profuit uſu,
Pro meritis hodie præmia rara capit.

LEPORES ET RANÆ.

Vexari Leporum uario diſcrimine gentem
Queſta ſuam eſt uno turba coacta loco.
Non modò quàm doleant hominum uenatibus an-(gi,
Carniuoris odio ſed ſimul eſſe feris.
Eſſe putant ſatius ſemel uno tempore uitam
Perdere, quàm nullo tot mala fine pati.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Præcipites mergi uicinum ſuadet in amnem
Mortis amor, mens eſt omnibus una mori.
Impetus hoc animo procul omnes unus agebat,
Quà uia funeſtas proxima præbet aquas.
At leporum curſu perculſæ præpete Ranæ,
Hâc quæ fortè latent, inſiluêre lacum.
Vnus ibi Leporum ô ſocij ſuſpendite curſum,
Et nos quæ metuat, beſtia uiuit, ait.
Non nos ergo malis fortuna miſerrima tangit,
Hoc fato premitur deteriore genus.

EADEM ALITER.

Syluarum ſtrepitu Lepores oriente ſtupebant,
Vnde fugam celeri corripuêre pede.
Obſtetit his uicina palus, quam turba petiuit
Ranarum, liquidis quas pauor abdit aquis.
Tum, ſi tãta pedum eſt fuga, natu grãdior inquit
Cur ſyluæ prohibet murmura ferre timor?

EPIMYTHION.

Adflictis mala ſæpè leuant aliena dolorem,
Sæpè mala ſocios ſortis habere iuuat.

LVPVS ET HOEDVS.

Capra ſuo rus ire parans ita præcipit agno,
Audeat ut caulæ non aperire fores.
Hac abeunte propinquat haræ uagus obice clauſ
Voce capram matrem mox ſimulante Lupus

Hu

Huic aperire dolos non credulus oſtia nolens,
Imberbem recipi non licet, hædus ait.

EPIMYTHION.

Imperio nati parent qui ſponte parentum,
Inde ſalutari ſæpe fruuntur ope.

CERVVS, ET OVIS.

Ceruus Ouem frumenta ſibi ceu debita poſcit,
Idq; Lupo uerum teſte probare cupit.
Cogit Ouem exitij metus hæc debere fateri,
Pendere qua fas ſit, deſtinat ergo diem.
Qua ueniente moram ſoluendi tolle moleſtam,
Quæ debes longo tempore, Ceruus ait.
Huic ouis: illa quibus frumenti præbet aceruos
Copia, qui poſſunt hæc dare, poſce uiros.
Eſt mihi nil horum, dare quæ præſente recepi
Antè Lupo, factum crede iubente metu.

EPIMYTHION.

Quæ ui, ſiue metu ſpondes cogente pericli,
Non ſeruare tibi iure probante licet.

ANGVIS, ET AGRICOLA.

Anguis opaca domus trux paganæ antra colebat,
Qui puero fecit triſte premente malum.
Quo calcãte, ferũ quia non proſpexerat Anguẽ,
More uomens ſolito dira uenena nocet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Eripit huic ictu uitam, & ſibi conſcius auſi
Irrepſiſſe ſpecum dicitur inde Draco.
Motus ob hæc pueri pater arripit auſa bipennem,
Hac armatus adeſt, ultor & eſſe cupit.
At memor audendo temerè quæ fecerit Anguis,
Hoc exire ſpecu cautius arte parat.
Sic hoſtile foras caput hic cùm penè tuliſſet,
Non tulit Agricolæ mota cupido moram.
Fronte trucem colubrum uix apparente petiuit,
Territus inuiſum ſed caput ille refert.
Eripit hæc leto fuga, ſaxo impacta bipennis,
Quanta ui fuerat fecit adacta notam,
Vxor inire monet poſt cum ſerpente maritum
Pacem, conſilio moriger ille fuit.
Et cum pane ſalem mox collocat ante cauernam,
Adq; nouæ pactum pacis adeſſe monet.
At nullum uafer Anguis ait contingere mecum
Fœdus in hac rerum conditione poteſt,
Dum buſtum, quo membra tui ſunt condita nati,
Et uiolenta notam plaga furoris habet.

EPIMYTHION.

Improba uindictæ non deſinit antè cupido,
Quàm lædentis erunt ſigna remota mali.

VVLPES, ET CICONIA.

Hoſpite Vulpe petit perſuaſa Ciconia Ranam,
Lanx poterat coctos promere panda cibos.

Non eſu Vulpes ceſſante maligna ligurit,
  Perq; iocum, comedas tu quoq;, dixit aui.
Quid faciat lautis fraudata Ciconia menſis?
  Singula magnus habet fercula ſplendor, ait.
Poßit ut à me ſed tibi gratia digna referri,
  Cras meus, ut gratum res probet, hoſpes eris.
Non opus his lædens Vulpes eſt ſumtibus inquit,
  Quos ob me fieri non ego forte uelim.
Attamen oranti non refragabor amicæ,
  Sim ſimul hac aliò luce uocata licet.
Vas longo uitreum parat ergo Ciconia collo,
  Anguſto pariter quod nimis ore patet.
Promitur hoc, Vulpes cum iam conuiua ueniret,
  Quæ fuit ex illo carpere iuſſa dapes.
Illa quibus collo cùm non prohibente potiri
  Poſſet, abire parans nil ait ergò queror.
Eſt tractata prius quo more Ciconia nobis,
  Hac iterum falli me ratione feram.

EPIMYTHION.

Impoſtura frequens autores decipit ipſos,
  Et lædens alios plus ſibi ſæpe nocet.

VVLPES.

Vna ſemel fabricam ſtatuas facientibus aptam
  Vulpes, illa uago dum pede currit, adit.
Diuerſas contemplantem quam magna uoluptas
  Effigies uiſu mota ſecuta fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

At mirata magis ſtatuã, quam repperit, unam eſt
Nam formæ ſpecies huic muliebris erat.
Huic arridet, & huic geſtu colludit amico,
Forma placens oculis uirginis inſtar erat.
Dum ſenſum illa modo nullo tamẽ indicat, inquit
Cur facies cerebro tam ſpecioſa caret?

EPIMYTHION.

Sæpè, uenuſtatem cui forma ſuperba miniſtrat,
Hunc animo ſtolidum deteriorẽ uides.

CORNIX SVPERBIENS ALIARVM AVIVM PENNIS.

De grege collectis auium Cornicula pennis,
Applicat has membris, quà datur, arte ſuis.
Mox harum uario quæ læta colore ſuperbit,
Et præ ſe reliquas temnere cœpit aues
Mouit inepta modo ſic hoc Cornicula riſum,
Quæ nudata nouo tota colore dolet.

EPIMYTHION.

Res mendicatas dum uana ſuperbia iactat,
Stultitiæ pœnam tacta pudore luit.

MVSCA ET FORMICA.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Muſca, laboriferam formicam temnere præ ſe
Audet, & hæc illi uerba moleſta loqui:
Quanta tuum ſit obire uides incommoda uitæ,
Quam tenui miſeram conditione teris.
Incolis aſsiduo terrarum more cauernas,
Perreptas animal uileq; ſemper humum.
Et tenuem magno uictum ſudore requiris,
Hora uoluptatem nec ſinit ulla ſequi.
At me ſæpè ferunt alæ in ſublime per auras,
Nec mihi ſæpè negat regia menſa dapes.
Aurea dulce merum, atq; argẽtea pocula præbent,
Datq; gulæ gratos copia magna cibos.
Purpureisq; toris mihi ſæpè ſedere poteſtas,
Clauſa mihi regum tecta nec eſſe ſolent.
Hæc cui, quæ faſtu uexata tumeſcit inani,
Non odio quòd ſis omnibus addis, ait?
Anne flabella negas, ob teq; uenena parari,
Temporeq; hanc uitam te breuiore ſequi?
Feruidus æſtiuas dum ſol non denegat horas,
Hæc uiget, hyberno frigore tacta perit.
At me non minimi exercent æſtate labores,
Vt peragi placido tempore poſsit hyems.

EPIMYTHION.

Dicere cui mos eſt quæ uult, quæ reſpuit, audit,
Tranquillo potiens uita beata ſtatu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

RANA CREPENS.

Corpore ſtulta bouem cùm Rana uideret opimo,
Æquet ut hũc inflans ſquallida mẽbra tumet.
Et rogat eſſe parem num ſe tumor arguat illi
Natos, huic quorum, nil minus, unus ait.
Tum uerò illa parat rugoſam tendere pellem,
Seq; inflare, boui par tamen eſſe nequit.
Vnde, licèt mea te martercula ruperis inquit
Pullus, adepturam, quod cupis, eſſe putem?
Sed ceſſare uetat quia laudis inepta cupido,
Mentis inops rupto corpore Rana crepat.

EPIMYTHION.

Adfectare, licet quas non acquirere laudes,
Stultitiæ, uires conſule quisq; tuas.

LVPVS ET ASINVS.

Fortè uidens Aſinum, prati dum paſceret herbas,
Imminet inſtituens hunc laniare Lupus.
Ille ſed antè Lupo, mihi, dixerat, extrahe ſpinam,
In pede quam fixam poſteriore uides.
Quò parente pedis ferit hunc, quo polluit, ictu,
Vt uertigo Lupo gyret oborta caput.
Ad ſe qui rediens: medicam molirer ut artem,
Impulit utilitas mene futura cocum?

EPIMYTHION.

Qui, quam non didicit, temerè profitebiur artem,
Pro ſtulto precium triſte labore feret.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

ASINVS ET EQVVS.

Sorte putabat Aſellus Equum meliore beatum,
Huic quòd ſæpè darent pabula larga cibum.
At cùm rumor Equum periſſe doceret eundem,
Membra ſub armato cum cecidêre uiro.
Quàm fortunatum falſò antè putauerat illum,
Tàm miſerum uerè re profitente uidet.

EPIMYTHION

Splendida ſæpè graui diſcrimine uita laborat,
Optima ſors igitur, quæ mediocris erit.

VESPERTILIO TRANSFVGA.

Cœtera ſi poſſent motis animalia bellis,
Vincere pennatum, cùm uoluêre, genus:
Pars horum ancipites exercuit utraq; pugnas,
Donec in hac uinci lite uidentur aues.
Tum Veſpertilio ſociam ſuccumbere gentem
Poſſe timens, hoſti ferre parauit opem.
At quia iam uolucres Aquilæ uirtute triumphât,
His iterum iungi transfuga gaudet auis.
Quæ ſpoliata ſuis auium grege uindice pennis,
Tale coacta malum nocte uolare tulit.

EPIMYTHION.

Qui ſocios orto diſcrimine deſerit olim,
Perfidiæ pœnam iure ſubire decet.

LVPVS, ET VVLPES.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quo Lupus ingentem cumulârat tempore prædã,
Forſan ad hunc Vulpes inſidioſa uenit.
Blanditias quæ more ſuo molitur, & inquit:
Te mihi non cerni quàm mora longa tulit?
Gratulor aduentu quòd te dignata ſecundo
Sit fortuna, ſuo teq; fauore Lupum.
Vulpe ſibi inſidias Lupus aſſentante parari
Conijciens, hæ ſe res bene, dixit, habent.
Paſſa tibi adferri tamen eſt occaſio partem
Nulla, ſinam uacuam te quòd abire dolet.
Sic deriſa grauem Vulpi ſpes commouet iram,
Vindictæq; dolum mota cupido docet.
Ocyus hæc ouium paſtorem accedit, & heus tu
Inquit, erunt precij quæ mihi dona loco?
Si gregis hac ego luce tuum tibi proditor hoſtem
Tradidero ſæuum fraude iuuante Lupum?
Qui dare caſeolos paucos ſe uelle recepit,
Occupat unde ſpecum Vulpe docente Lupi.
Cui facili uitam ratione paratus ademit,
Rem procul armato corpore uictor obit.
Proditionis item poſcentem præmia Vulpem,
Arte canum prædam decipiente facit.
Circumuenta dolis hanc quæ dedit ore querelam:
Fraude necans alium, fraude necante cado.

EPIMYTHION.

Ipſis exitio furor eſt autoribus olim,
Inuidiæ plus his officit illa lues.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

LVPVS, ET HIRCVS.

Euadente Lupum ſectantem comminus hirco,
Et loca præruptis tuta petente iugis:
Tempore tam lõgo Lupus hîc ferus obſidet illũ,
Cogeret hunc oriens donec abire fames.
Diſcedente lupo notum deſcendit in amnem
Hircus, ut hauſta ſibi mitiget unda ſitim.
Cui liquidis quia ſe ſub aquis ſua reddit imago,
Cornua ſpectanti, cruraq; pulcra placent.
Quem contemplandi quia ſtulta cupido moratur,
Non obſeruato præda fit ille lupo.

EADEM ALITER.

Apparent ceruo uitreis ramoſa ſub undis
Cornua, laudari poſſe ſat illa negat.
At fuga per denſam cùm duceret anxia ſyluam,
Plus, quàm profuerint, illa nocere uidet.
Deuouet ergo querens, & crura fugacia laudat,
Quæ robuſta parum dixerat antè dari.

EPIMYTHION.

Non benè ſtulticiam uentoſa ſuperbia uitat,
Huic comes illa, ſuis utraq; plena malis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

In fabricam quondam cùm Vipera reperet unam,
Huic tentata teri lima reperta fuit.
Saucia lingendo dabat atrum lingua cruorem,
Spem de ſucceſſu res ea falſa dedit.
Facta ſuo credens huic morſu uulnera ferro,
Sanguineas guttas inde uenire putat.
Ergo uetat fieri lingendi inſania finem
Antè, teri penitus quàm ſibi lingua poteſt.

EPIMYTHION.

Quos furor audendi, ſeu cœca cupido fatigat,
Hi ſibi, non alijs ſæpè nocere ſolent.

LVPORVM, ET OVIVM PAX.

Dira Lupis Ouium cùm ſæuis bella gerebat,
Auxiliante Canum fortè labore genus.
Viribus unde pares hæ, ſæpius hoſte priores,
Vt peterent pacem cauſa fuère Lupis.
Hac rem lege gerũt: catulos dare turba Luporũ,
Pignoris hæ ſpondent nomine uelle Canes.
Inde nouam firmant ſancito fœdere pacem,
Et pars neutra datam uult uiolare fidem.
Sed quam fraude truces catuli rupère Luporum,
Rem finxère tamen non ſine iure geri.
Qui, cùm ſimplicitas Ouibus ſecura timorem
Demeret, has rabiè mox oriente necant.
Ceu uiolatrices quas fœderis obruit horum
Impetus, & leto mittit inerme genus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Se læſos perhibent harum petulantibus auſis,
Quod pacti fieri iure uetante probant.

EPIMYTHION.

Quorum præſidio ſæuos eludimus hoſtes,
Hos ſtudio par eſt candidiore coli.

SECVRIS ET LIGNA.

Sylua nouæ capulum dedit exorante ſecuri
Lignatore, ſui cauſa dolenda mali.
Huic uix ille recens aptauerat arte ſecurim,
Ictibus arboreum cùm petit omne genus.
Tunc alijs ita quercus ait: durate ſorores,
Stulticiæ damnum flebile ferre decet.

EPIMYTHION.

Vult armare ſuum temerè qui uiribus hoſtem,
Hic erit exitij cauſa pudenda ſui.

VENTER, ET MEMBRA.

Membra modis ſocium culpāt his cætera Ventrē,
Nos'ne tibi poſthac demus, ut antè, cibum?
Segnia qui nobis ſudantibus ocia curas,
Teq; operæ noſtræ fœnore poſcis ali?
Rem magis hanc deinceps præſtādi nulla uolutas,
Neutra miniſtra cibū promet, ut ante, manus,
Sic, dare ſtulta dapes Vētri dum mēbra recuſant,
Corpore cum toto debilitata iacent.
Stulticiæ ſerò ſtolidos ſed pœnitet artus,
Inuidiæ ſeſe peſte perire dolent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Seditioſa graui damno diſcordia ciues
  Afficit, hæc ſociam quando recuſat opem.

SIMIVS ET VVLPES.

Simius his Vulpem uerbis humaniter orat:
  Particulam caudæ ne dare dura neget.
Hanc oneri ipſa ſibi cùm ſentiat eſſe, nec ullum
  Hinc damnum, minui ſi ſinat, eſſe queat.
Hoc ueſtire uolens nudas uelamine nates,
  Hoc ait accepto munere gratus ero.
Huic Vulpes: tantam caudam ſi nacta fuiſſem,
  Eſſet ut hanc plauſtro ponè neceſſe uehi:
Hinc auferre pilum tibi non contingeret unum,
  Tegmen ut acciperes natibus inde tuis.

EPIMYTHION.

Quos fortuna bonis fautrix ditauit opimis,
  Quam poterant, alijs ferre grauantur opem.

CERVVS, ET CANIS.

Ceruus agente Canum ſeſe ui ponè ſequentum,
  Confugit ad paſtos non procul inde boues:
Seq; tegi ſupplex exorat, opem annuit horum,
  Spemq; patrocinij turba rogata facit.

At magis inquiri tutas hortata latebras,
In ſtabulo prendi poſſe repentè putat.
Dum tamen omne nihil diſcrimen adire ueretur,
Stramine uelari cœpit, & arte tegi.
Haud mora longa, boues qui curet, adeſſe notatur
Seruus, idem ſed qui ſegnis obiuit opus.
Rettulit inde pedem, ſurgunt hinc gaudia Ceruo,
Nunc reſtare ſibi qui mala nulla putat.
Sed fit uoce boum tamen adfore certior ipſum
Mox dominum, ſolito more, dieq́; ſuum:
Quo ueniente pari ſi lege pericula uitet,
Huic aliud referunt non ſupereſſe malum.
Sed pecudes dominum luſtrantem incuria ſerui
Cogit, ut attentè cuncta uidenda putet.
Hic dum more uigil conſueto ſingula cenſet,
Ceruum, quem produnt cornua longa, necat.

EPIMYTHION.

Committunt alijs uitæ quicunq; ſalutem,
Vim minus effugiunt, quàm metuêre, mali.

LEO, ET VVLPES.

Quærere cùm uictum defeſſa ſenecta uetaret,
Hoc præſtare parat callidus arte Leo.
Viſere ſe morbum ſimulans animalia cogit,
Quæ laniata cibos efficit ille gulæ.
Fortè ſagax etiam Vulpes uenit huius ad antrum,
Quæ perculſa metu ſubſtitit ante fores.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Hinc quæ cauſa gradū quærente Leone morandi
    Eſſet, adire malo quo'ue paueret, ait:
Nulla foras, intrò ueſtigia plurima ſpectant,
    Illa laborantem uiſere ſigna uetant.

EPIMYTHION.

Qui ſapit, ille mali cauet ante pericula cauſam,
    Et fugit oſtenſis damna futura notis.

VVLPES, ET MVSTELA.

Exhauſto cumeram frumenti corpore Vulpes,
    Qua ſinit arcta loco rima patente, ſubit.
Vnde cibo cùm ſe repleta referre pararet,
    Turgentem nimium non uia ſtricta capit.
Hanc tentare fugam fruſtra Muſtela notauit,
    Quam geris, effectu res caret, hoſpes ait.
Nam tibi ni priſcam maciem ieiunia reddant,
    Non exire foras uentre tumente potes.

EPIMYTHION.

Dona uiro qui non à diuite ferre uéretur,
    Hac libertatem uendere lege ſolet.

DE EQVO ET CERVO.

Forſan Equo uirides paſcente ferocior herbas
    Ceruus adeſt, huic qui pabula rara facit.
Hinc exarſit Equo uindictæ ſtulta cupido,
    Hoc parat ulciſci qui data damna modo.
An ſibi, quærit, homo promittere poſsit in hoſtem
    Auxilium, forti quod ferat ille manu?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Qui reſpondit opem tibi ſic ego ferre ualebo,
Ora dato freno ſi patiêre regi.
Meq; haud armatum geſtare grauabere dorſo,
Sic ero præſidij ferre paratus opem.
Paruit his ubi blanditijs Equus hoſte peremto,
Deſijt accepto uiuere liber hero.

EPIMYTHION.

Qui libertatem uindictæ nomine uendit,
Turpiter hic omni tempore ſeruus erit.

ADOLESCENTES, ET COCVS.

Res curante ſuas Pueri cùm forte ſederent,
Eſſe probos fuerat quos ratus ille, duo:
Surripit, & ſocio mox carnem porrigit horum
Vnus, at ille ſinu condit & arte tegit.
Carnis abeſſe uidens fruſtum Cocus arguit ambos
Furti, req; fidem uerba probante facit:
Nemo duobus adeſt quia uobis amplius inquit,
Ergo doli ueſtrum non reus alter erit?
Tunc, qui dante tulit ſocio, ſe deierat illam
Non rapuiſſe, ſed hanc alter habere negat.
Apparente dolo Cocus his ait: ut data ludant
Me, tamen haud fallent uerba perinde Deum.

EPIMYTHION.

Vt lateant hominum quondam periuria mentes,
Hæc uidet omne nefas mente notante Deus.

CANIS, ET COCVS.

Exercente Coco res clàm petijſſe culinam
Aiunt, & pecudis cor rapuiſſe Canem.

Quem Cocus hac ſerò fugientem eſt uoce ſecutu
Hæc impune fugæ nunc ope furta facis.
Inde tamen ſtudio maiore cauebo rapinas,
Non adimunt, ſed dant auſa cor illa mihi.

EPIMYTHION.

Quæ nocuêre docent, cautoſq; pericula reddunt
Et melius flammas uſtus ab igne cauet.

CANIS, ET OVIS.

Tres debere ſibi modios Canis ore proteruo,
Frumenti longo tempore fingit Ouem.
Teſte Lupo, Miluoq; gerens, & Vulture litem
Vincit, & hæc ſeſe poſcere iure probat.
Vnde ſuas tonſo trepidans citò corpore lanas
Vendidit, & precio grana coëmit ouis.
Vt frumenta Lupo, quamuis non debita, pendat
Hoc damno uitam perdere peius erat.

EPIMYTHION.

Eſt graue ſæuitiam cuiquam uitare potentum,
Vi, quæ iura ſequi non licet, auſa parant.

HOEDVS, ET LVPVS.

Ponè ſequente Lupo fugientem caula recepit
Hœdum, uerba dolens cui Lupus iſta facit:
Hîc an ſtulta putas fore tutam à funere uitam,
Vnde peti ſuperis uictima crebra ſolet.
Nil moror, hœdus ait, quia ſi mihi morte cadendum
Hac non tantus erit lege perire dolor. (eſt

Namq;

Namq; cruore meo ſua ſi madefecerit aras
Victima, Dijs fuſo ſanguine gratus ero.
At tibi ſi fauces ego ſanguinis imbre rigarem,
Nulla futura meæ gratia mortis erat.

EPIMYTHION.

Mors commune malum cùm ſit mortalibus ægris,
Poſſe decet famæ non ſine laude mori.

EADEM ALITER.

Hirco cauta ſuum cuſtode reliquerat agnum
Mater ouis peregrè forſan itura domi.
Cui lupus: eſt olido grege quæ ducente uoluptas,
Per loca uenari te ſalebroſa cibum?
Cur non prata iuuat potius per amœna uagari,
Quæ generi præbent pabula grata tuo?
Reſpondente uetant Hirci me præſidis agno
Iuſſa, meæq; illo matris abire loco:
Excitat ira Lupo nequicquam mota pudorem,
Qui dolet inſidijs robur abeſſe ſuis.

EPIMYTHION.

Obſeruare pio ſtudio præſtanda parentum
Iuſſa, tulit natis ſæpè ſalutis opem.

HOMO, ET FELIS.

Felem in delicijs Adoleſcens forſan habebat,
Fiat ut hæc, Venerem, pulcra puella, rogat.
Annuit arte Venus iuſſam factura puellam,
Virgineam faciem felis adepta placet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Haud mora, more ſacras patrio conuiuia tædas
Facta parant, quibus eſt iuſſa præeſſe Venus.
Quæ tentare uolens animum num uerſa priorem
Forma neget, tali rem ratione gerit:
Proijcit in medio conſeſſu callida Murem
Diua, pauens animo quem noua ſponſa notat,
Auſa tamen non eſt ſolitas tentare rapinas,
Virgineo ſecum fortè ſedente choro.
Muſculus inſtinctu ſed prouenit alter eodem
Cypridos, hoc uiſo, non, uelut antè, manet.
Sed cogente petit naturæ ſemine prædam,
Nilq; morante nefas tale pudore cauet.

EPIMYTHION.

Naturæ mutare ualet conamine mores
Nemo, diu tandem diſsimulata redit.

AGRICOLA ET FILII.

Mors erat Agricolæ uicina ſenilibus annis,
Nacta patrem ſoboles quem numeroſa fuit.
Quam uexare frequens diſcordia lite ſolebat,
Hoc parat unde modo conciliare pater.
Ordine nempe datum uirgarum frangere faſcem
Præcipit, at iuſsis nemo ſat eſſe poteſt.
Ergo datam cuiuis iubet unam frangere uirgam,
Quilibet hoc nullo pene labore facit.
Tum, ſi firma manebit, ait, concordia uobis,
Veſtra bono ſe res eſt habitura ſtatu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

At ſi lite frequens armauerit impetus iram,
Hoſtibus urgendi uos graue robur erit.

EPIMYTHION.

Vnanimi uirtus coniuncta labore tueri
Se ualet, at diſcors robore penè caret.

EQVVS, ET ASINVS.

Fortè grauabat Equum, nec itē non grandis Aſel-
Sarcina per longas usq; gerenda uias. (lum,
Hinc Aſinum cùm deficerent in corpore uires,
Orat Equum, ſibi qua parte leuetur onus.
Si comitem uiuum uelit, incolumemq;, ſed hæc nil
Verba, precesq; fero pectore curat Equus.
Vnde graui languens ſub faſce cadebat Aſellus,
Qui ſocio moriens omne reliquit onus.
Quod portare necem perpeſſo cogitur illo,
Tam graue, uix illi poßit ut omne geri.
Cui detracta feræ partem quoq; ponderis addit
Pellis, & ille geri iuſſa moleſtat Equum.
Sic oneris ſocium qui parte leuare recuſat,
Omne iubente poteſt ferre coactus hero.

EPIMYTHION.

Spernit opem ſocio qui ferre laboris egenti,
Reſpuit ut partem, mox onus omne ſubit.

CARBONARIVS, ET FVLLO.

Incolit haud minimas quas Carbonarius ædes,
Orat in his ſecum uiuere Fullo uelit.

Poſſe negans fieri, commercia uana, quid optas
Fullo, ualere diu non ſinet uſus, ait.
Cùm, mea quas puris pulcrè manus eluit undis,
Res fuligo recens te maculante notet.

EPIMYTHION.

Non benè diſsimiles ſociari fœdere poſſunt,
Lege pares iungi ſe meliore ſinunt.

AVCEPS, ET ANGVIS.

Spe prædæ ſuadēte nouæ nemus occupat Auceps,
Turdus in arborea fronde notatur auis.
Inſtruit unde ſuos calamos, uiſcumq; tenacem
Allinit, & demto fine tuetur auem.
At notat huc oculis dum fixis ille uolucrem,
Ictus ab angue malum triſte latente tulit.
Qui ſentiret ubi domitura pericula uitam,
Incipit exitio ſic oriente queri:
Me miſerum, dum uexat auem me cura necandi,
Saucius infeſto cogor ab angue mori.

EPIMYTHION.

Qui ſtruit inſidias alijs ſe ſæpius ipſum
Lædit, & hoc damni nil patiente perit.

TVBICEN.

Sæua ſuo Tubicen irritans prælia cantu
Captus ab hoſte: mihi parce miſertus, ait.
Nam mihi nulla, tubam niſi dixeris, arma fuerunt,
His potui demtis ergo nocere nihil.

A

At ſcelerate lues ideo mihi ſanguine pœnas,
Vox tua quòd ſocios incitat, hoſtis ait.

EPIMYTHION.

Per quos eſt alijs accenſa cupido nocendi,
Hos odio dignos quis grauiore negat?

CANIS, ET LVPVS.

Corporis unde Lupo tantum quærente nitorem
Diceret eſſe, Canem ſic memoraſſe ferunt:
Præbet heri bonitas alimenta tenerrima nobis,
Me quibus aßiduè non uetat ille frui.
Hanc ſpectare meam fortunam ſi qua cupido
Eſt ſibi, fac mecum quà uia ducit, eas.
Fiet, iturus ait Lupus, hinc ſed euntibus illis,
Viſa pilis ceruix penè canina caret.
Vnde rogante Lupo, num ferre neceſſe ſit ullo
More iugum, colli ſigna fatentur, ait.
Huic canis: aſtringi, dum lux abit, uſq; catenis
Cogor, ut hac alacer ſim uice nocte uigil.
Cui lupus: ergo uale cum rebus amice ſecundis
Hiſce tuis, non hæc uita beata placet.
Hoſtibus illa meis optem, non commoda nobis,
Quæ ſi cenſueris, ſunt ea plena malis.

EPIMYTHION.

Libertate carent bona ſi comitantia uitam,
Quàm prodeſſe, magis ſæpè nocere ſolent.

HERVS ET CANES.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Non exire domo tempeſtas longa ſinebat
Agricolam, unde fame mactat adactus oues.
Aſſuetis terram nec bobus arare pepercit,
Quo uiſo perhibent extimuiſſe Canes.
Deq; modo uitam mox conſultaſſe tuendi,
Poſſe fugæ fieri quod ratione putant.
Hæc uia ſola patet redimendi à funere uitam,
Ergo metu tentant ocyus inde fugam.

EPIMYTHION.

Inſidias quorum non turba domeſtica uitat,
His formidandum nil magis eſſe putes.

VVLPES ET LEO.

Antè ferum Vulpes non uiderat una Leonem,
Vnde timore poteſt obuia penè mori.
Vidit ut hunc iterũ quoq; mota pauore ſtupebat,
Tunc leuiore tamen, quàm tremit antè, metu.
Tertia ſpectanti cùm ſeſe occaſio reddit,
Cõpellare feram protinus auſa fuit.

EPIMYTHION.

Tàm graue nil uſquam, quod non fit mitius uſu,
Omnia quo fieri trita frequente ſolent.

AQVILA ET VVLPES.

Iungit auem fallax Aquilam ſibi fœdere Vulpes,
Cum qua uicinum uult habitare locum.
Regia ſtruxit Auis ſolitum ſuper arbore nidum,
Non procul hinc ſedem Vulpe tenente ſuam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Accidit illa domi natis ut manè relictis
Iret, & his ueteri quæreret arte cibos.
Hinc urgente fame, pullisq́; petentibus eſcam,
Abſenti catulos perfida demit Auis.
Tale reuerſa domum Vulpes cognouit ut auſum,
Vindictæ cupidam non leuis ira facit.
Huic exercendi quam tandem occaſio uenit,
Tempore quam talem nacta ferente fuit:
Victima fortè ſacras adoleri cœpit ad aras,
Inde ſuo prædam more petiuit Auis.
Dum rapit exta, ſimul fert cum carbone fauillā,
Perdere qua nidum flamma cremante poteſt.
Quo flagrante cadunt Aquilini ex arbore pulli,
Quos Vulpes aliò matre uidente rapit.
Læticiamq́; nouæ uindictæ impunè ſequendo
Deuorat, & prædæ nil ſupereſſe ſinit.

EPIMYTHION.

Vt ſua facta negent ſcelerati obnoxia pœnis,
Cùm minimè credunt, has Deus ultor obit.

EADEM ALITER.

Vafra minis Aquilam Vulpes his impulit olim,
Vt dare ſit pullos illa coacta ſuos:
Arboris ad truncum uelut incenſura cucurrit
Cum face, quo facto territa fertur auis.
Mallet ut implumes dare prædā huic anxia fœtus,
Quàm ſimul igne domū fortè cremante mori.

EPIMYTHION.

Imbelli quoq; ſæpè pauent urgente potentes
Hoſte, culex etiam uilis in arma uenit.

AGRICOLA, ET CICONIA.

Arte Grues pariter fallente Ciconia fertur
Capta uiri, hac parci quæ ſibi uoce rogat:
Nil ego cùm dederim damni mortalibus unquam,
Sed pia ſim, facto profuerimq; meo:
Parce, mihiq; Gruum ne cum grege deſtrue uitã,
Hæc mihi pro meritis gratia iure redit.
Nam uenante perit me beſtia noxia uobis,
Eſt odio ſerpens, ranaq; fœda mihi.
Quin etiam ſenio feſſos geſtare parentes
Mos mihi, & eximiæ ſum pietatis auis.
Ruſticus huic, non uera nego, quæ ſubijcis, inquit,
Cùm ſocijs captam mors tamen una manet.

EPIMYTHION.

Talem quemq; ferè res ipſa fatetur haberi,
Quales ſunt, ſocium ſe quibus ille facit.

FELIS, ET GALLVS.

Felis auem Gallum cùm iure necare uideri
Vellet, eum dignum ſic probat eſſe mori:
Te turbante quies generi nocturna negatur
Humano, eſſe nefas an graue tale negas?
Immò Gallus ait, non me prodeſſe negabit,
Ad ſolitas operas me monitore redit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Te tamen eſt auium non fœdam pronior unquam
In Venerem, uolucrum peſsime, felis ait.
Eſt cum matre tibi, eſt inceſta ſorore libido,
Hoc ſcelus an dignum morte negare potes?
Gallus: hero quin illa meo laſciuia prodeſt,
Hinc ſociæ pariunt oua frequenter aues.
Felis, ut inſontem te cauſa probabilis, inquit,
Arguat, uſq; famem non ego ferre uelim.
Hæc ubi dixit, auem fruſtra mihi parce uocantē,
Nil querulas uoces corde morante necat.

EPIMYTHION.

Eſt cùm ſæua malis graſſandi mota cupido,
Quæ non iure licet, ui peragente gerunt.

PVER MENDAX.

Cùm cuſtos ouium Puer ore iocante uocaret
Sæpé uiros, fingens forſan adeſſe Lupum.
Auxilium crebrò fruſtra cùm ferre uenirent,
Attulit autori triſtia damna iocus.
Nam tandem ueniente Lupo cùm uana putarent
Auxilia optari, nemo ferebat opem.
Ludere uerba ioco uelut antè uocantia credunt,
Hac impunè Lupo lege necantur oues.

EPIMYTHION.

Hoc, quæ ſæpè ſolent mentiri, uerba merentur,
Vt, ſint uera licet, credere nemo uelit.

AQVILA ET MONEDVLA.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Fortè uidens Aquilam raptare Monedula prædam
Agnum, ſtulta ſequi poſſe laborat idem,
Huic aries procul ergo rapi tentatur in agris,
Vellere adhæreſcunt ſed retinente pedes.
A paſtore gregum puero ſic capta, dolorem
Stulticiæ meritò cogitur illa pati.

EPIMYTHION.

Diſcere quemq; ſuas fas eſt ſe iudice uires,
His maiora ſequi turpe furoris opus.

CANIS IN PRÆSEPI.

Allatrante boues Cane, quem præſepe tenebat,
Carpere quos ſolito pabula more uetat:
Cur (dixêre) cibo prohibes nos inuide ueſci,
Quo tamen, ut cupias, non potes ipſe frui?

EPIMYTHION.

Qui res inuideant alijs, cùm deneget ipſis
Has fortuna, locis omnibus eſſe putes.

ASINVS ET CORVVS.

In uiridi prato paſcentem uidit aſellum
Coruus, erant illi ſaucia terga feræ.
Inuolat huic, laceramq; cutem ſic tundere roſtro
Incipit, ut miſeris ruderet ille modis.
Improba quem dum uexat auis, rem fortè notauit,
Præteriens tali uoce querente Lupus:
Quàm genus infelix eſt noſtrum, urgere quod o-
Hoc ubicunq; licet, uiq;, miniſq; ſolent. (mnes,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Aſt Aſinum coruo eſt uexandi impune poteſtas,
Non, qui ſæuitiam puniat, ullus adeſt.

EPIMYTHION.

Quos natura feris iubet improba moribus uti,
Se ſubitò, quales ſint, aperire ſolent.

EADEM ALITER.

Agnæ cùm dorſo ludens geſtante ſederet
Coruus, ad hunc, es cur, illa, moleſtus? ait.
Exercere canem ſi ſic auis improba uelles,
Hoc ultore tibi pœna luenda foret.
Noui Coruus ait, quibus inſultare laborem,
Quosq; iubente metu ſæpe cauere uelim.

EPIMYTHION.

Infeſtare frequens iniuria uiribus orbos,
Eſt quam ferre malum non leue, ſæpe ſolet.

PAVO.

Pauo graues coram Iunone ſecuta querelas
Eſt auis, hac de re quas meditata fuit:
Quòd, cùm pennarum reliquas ſplendore ſuarum
Vincat, aues, non ſic uoce ualere ſinat.
Quam tamen argutam luſcinia parua uolucris
Nacta ſit, hanc uarijs docta referre modis.
Huic Dea (cuius auẽ dicunt) non par erat, inquit,
Vt faciles uni Dij bona cuncta darent:
Qui ſua cuiq; modis diuerſis dona miniſtrant,
Hos quibus eſt ingens poſcere plura nefas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Dona Deo tribui ſua cuiq; dicante putandum,
His contentus uti, te iubet, eſſe uelis.

MVSTELA.

Non uelut antè ſenex mures Muſtela ualebat
Prendere, fraude ſagax inuenit ergo uiam.
En ſub triticeis aſtuta latebat aceruis,
Hi cogente fame quem quoq; ſæpe petunt,
Hæc quos arte capi ratio tentata ſinebat,
Quodq́; negant uires, calliditate geri.

EPIMYTHION.

Non præſtare poteſt quæ debile robur, obibis
Conſilij felix ſæpè ſagacis ope.

ARBOR TRALATICIA.

Agricolæ, eſſe ferunt cui cultū inſigniter hortū,
Vna ſat ante alias fertilis arbor erat.
Ex hac multa legi dulciſsima poma ſolebant,
De quibus urbano dona dabantur hero.
Hæc quia fertur hero tranſlata iubente ſub urbē,
Ferre loci uicium neſcia tota perit.
Tum dominum dixiſſe ferunt: annoſa quòd ætas
Stirpem tranſferri non pateretur humo.

EPIMYTHION.

Deſipit hic, quem non ſapiendi meta cohercet,
Dumq́; petit nimium, perdit auarus opes.

LEO ET RANA.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Haurit ut aure Leo certantem murmure Ranam,
Obſtupet ingenti bellua tacta metu.
Vaſtam dira feram quia uox ſignare uidetur,
Quam rictu nimium clamor hiante facit.
Mox animo redeunte tamen, quæcunq; ſit, hoſtem,
Ad pugnam ueniens ſponte uidere cupit.
Sed quia uicino repentem è flumine Ranam
Conſpicit, huic iram commouet inde pudor.
Qua ſtimulante necem non ergo parare moratur,
Cui mox beſtiolam calce premente dedit.

EPIMYTHION.

Quemlibet ad ſtrepitũ res digna pudore moueri,
Eſt mala, nota niſi, turpe timere uiro.

FORMICA, ET COLVMBA.

Forſan anhela ſitim Formica leuabat ad amnem,
Hæc ablata, malum triſte, ſubiuit aquis.
Dum nihil eſt, fulcire pedes quo poſsit in undis,
Fluctus aquæ miſere tam leue iactat onus.
Hunc notat aerea triſtem ſuper arbore caſum,
Fertq; laboranti ſponte Palumbus opem.
Deijcit auulſam, natet hac ut naufraga, frondem,
Exitium rami ſic ea uitat ope.
Accidit, hanc adeunte breui poſt aucupe ſyluam,
Eius ut inſidias hæc pateretur auis.
Cui metuens Formica, dolos hac arte moratur:
Aucupis infeſto ſauciat ore pedem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Ictus arundineos calamos procul ille reliquit,
Hoc ſtrepitu mortem territa uitat auis.

EPIMYTHION.

Res pia pro meritis eſt reſpondere, uiciſsim
Præſtando ſtudij conuenientis opem.

PAVO ET MONEDVLA.

Cauſa locum uolucres non parua uocârat in unũ,
Rex nouus antiquo more creandus erat.
Regia decerni ſibi nomina Pauo requirit
Ille meæ formæ debitus, inquit, honos.
Cui cùm forſan aues reliquæ ſuffragia ferrent,
Et fore, ſpem facerent, quale petiſset opus:
Non fieri fas hunc putat una Monedula Regem,
Eſſe quod hac uerum conditione probat:
Hoc Aquilam metui quòd ſemper oporteat hoſtẽ
Rege, nec is rerum uincere nôrit onus.

EPIMYTHION.

Non tã forma places ſpectari in principe debet,
Quàm uirtus, animo quæ generoſa ſubeſt.

MEDICVS ET ÆGROTVS.

In ritu Ciues peragendo funeris ibant,
His comes eſt medicæ fortè profeſſor opis.
Cuius ab arte miſer ſperarat inane medendi
Auxilium, cui tunc funeris hora fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quem potuiſſe mori Medico dicente uideri
Rem minimè miram, turba ſecuta rogat,
Mouerit huic quænam moriendi noxia cauſam
Peſtis, ad hæc ſtolidi lingua medentis ait:
Heu, bibit, eſſe ſibi quòd nôrat inutile uinum,
Viueret, hæc ni res facta fuiſſet, homo.
Membra ſtatim riguo ſi ſolueret arida potu,
Fecis ut excerni poſſet inertis onus.
Huic comitum unus ait: cum uis ſit adêta medêdi,
Verba quid inſanæ mentis inepte facis?
Cur, dici miſero cum proderat illa, tacebas,
Quid medicam iactas, cùm iacet æger, opem?

EPIMYTHION.

Eſt medici curare, ſinunt dum tempora, morbum,
His quia neglectis nil ualet artis opus.

EADEM ALITER.

Deducunt patrij dum quendam in funere ciues,
Sunt qui, pernicies orta ſit unde, rogant.
His Medico dicente famem feciſſe, ſitimq;,
Eſſet ut is miſere mortuus ante diem:
Omnibus illa poteſt res admiranda uideri,
Ipſe docens igitur quid uoluiſſet, ait:
Namq; cibo nunquam expleri, potuq; ſolebat,
Helluo tam turpi moreguloſus erat.

EPIMYTHION.

Ingluuiem multis eſt exercere uoluptas,
Exitium nôrint inde uenire licet.

LEO, ASINVS, ET VVLPES.

Communes operas uenandi lege parabant,
Tres, Aſinus, Vulpes, magnanimusq; Leo.
His cùm multiplicem prædam fortuna dediſſet,
In partes Aſino iudice ſecta fuit.
Tres facit has æquo ſtolidus diuiſor aceruo,
Quas ita diſtribui iure decere putat.
Hoc ferus indignè fert, nec punire ueretur,
Nil metuens Aſinum ui laniare Leo.
Diuidat hinc prædam Vulpecula uafra, requirit,
E tribus his unam partibus illa facit.
Quam uenatorem ſolum meruiſſe Leonem,
Sic ſuadente ſibi calliditate probat.
Eligit è numero paruam ſibi diuite partem,
Sic fore contentam ſe ſine lite refert.
Digne tuam uenator ait procul accipe prædam,
Quam tibi deberi res manifeſta probat.
Namq; labore tuo partam non ipſe negârim,
Qui niſi feciſſes, non ea capta foret.
Flagitat, hanc artem quo calleat illa magiſtro,
Non caret aſtuta quæ ratione, Leo.
Cui pereuntis, ait, ſocij miſerabile fatum,
Quem modo ſtulticiæ pœna ſecuta fuit.

EPIMYTHION.

Sæpe quis alterius damno ſapientior exit,
Quod nocet huic, ſapiens ille cauere ſolet.

HOEDVS ET LVPVS.

Stans ſemel in tecto tener hœdulus audet euntem
Infeſtare ioco ſæpe ſalace Lupum.
Quem maledicendo non irritare ueretur,
Hoc impunè loci conditione facit.
Cui Lupus: haud tu nūc ſed tectum peßime nobis
Hoc illudit, iners uerba quid ergo facis?

EPIMYTHION.

Sæpe loci ratio timidis & temporis affert,
Acrius audendi, quæ iubet ardor, opem.

ASINVS ET OLITOR.

Forſan hero ſocors Olitori ſeruit Aſellus,
Quem grauat aßidui grande laboris onus.
Larga fatigato ſua cui quoq; pabula deſunt,
Liber ab hac fieri conditione cupit.
Obſecrat ergo Iouem, domino ſe liberet illo,
Et dare non alium ſponte recuſet herum.
Quem figulum ille ſtatim uenūdatus ære recepit,
Quo magis ille premi terga grauante dolet.
Dum gemit ille lutum, dum uaſa labore gerendi,
Seq; mori uires deficiente uidet.
Hinc maiore Iouē prece, quàm prius anxius orat,
Rurſus ab hoc redimi ſe patiatur hero.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Annuit hoc mox ille, dato ſic uenijt auro
Cerdoni, ſolitum uidit ut huius opus:
Hei mihi, dixit, erat quantò prior utraq; nobis,
Mitior hac uitæ ſors ratione meæ?
Namq; meam pellem quoq; mœſta pericula tangēt
Hoc domino, quæ me mox oritura manent.

EPIMYTHION.

Tum uetus à nobis demum fortuna requiri,
Cum noua ſentiri cœpit obeſſe, ſolet.

MVLIER ET ANCILLÆ.

Fœmina cùm uiduo lecto traduceret æuum,
Et ſibi texendi quæreret arte cibum:
Alitis audito Galli mox ſtrennua cantu,
Ad ſolitum famulas nocte uocabat opus.
Vnde fatigatæ diuturni hæ mole laboris,
Fortè necare putant utile rebus auem.
Quòd dominæ ſtrepitu citò rumperet ille quietē,
Excitet ancillas qua fugiente ſuas.
Sic auſæ uigilem leto ſunt mittere Gallum,
Quod tamen haud factum ſera querela cupit.
Nam non certa uices hera cùm ſignaret & horas,
Nocte frequens famulas uix ineunte uocat.

EPIMYTHION.

Sæpe bonam quo ſpem tibi ſe promittere credis,
Conſilij nil ars ſine loquente ualet.

EQVVS ET ASINVS.

Vidit Equum bellatorem geſtator Aſellus,
Sors quàm læta tibi, quàm mihi triſtis, ait.

Nam cutis eſſe tuæ cernunt quem noſtra nitorem
Lumina, quàm firmo corpore membra ualẽt?
Quàm tibi ſũt agiles artus, quàm magna uenuſtas,
Quamq; refert ceruix dulce ſuperba decus?
Quàm rigoſus ego, & quàm macro corpore uiuo,
Delicias domini fuſtibus eſſe putes.
Hoc Equus audito ſermone ſuperbit Aſelli,
Et magis incedens arduus eſſe parat.
At breue tempus abit, pugnæ cùm ferre labores
Cogitur, & dubij prælia Martis Equus.
Hîc durante diu certamine ſaucius ictu
Concidit & miſerè iam periturus ait:
Hei mihi, quàm uox eſt mentita dolentis Aſelli,
Quàm mihi, ſors illi quòd minus æqua foret.
Cùm mea uita graues caſus experta laboret,
Iudice quæ tamen hoc uiſa beata fuit.

EPIMYTHION.

Nemo ſuam temnens alienam quærere ſortem
Audeat, eſt ſat, quæ uult Deus, eſſe uiro.

CAPRA ET LVPVS.

Stare Capella Lupo ſublimi in rupe notatur,
Se uirides in agros deferat ille monet.
Hæc loca, dixit, habẽt quia lætas herbida frondes,
Quid iuuat in ſterili quærere monte cibum?
Capra, uoluptati fas eſt præferre ſalutem,
Quam ſemel amiſſam nemo requiret, ait.

EPIMYTHION.

Delicioſa malum mouet exitiale uoluptas
Multis, qui temerè quô uocat illa, ruunt.

VVLTVR ET AVICVLÆ.

Natali celebranda die conuiuia fingit,
Vultur adeſſe iubens inſidiator aues.
Quæ genus omne ſui cùm conuenêre ſub ædes
Hoſpitis, occludi mox iubet ille fores.
Et laniare rapax uncis parat unguibus omnes,
Efficiens auidis faucibus inde cibum.

EPIMYTHION.

Sæpe uoluptati grauis indulgere uolentem
Exitus in pœnam præcipitare ſolet.

ANSERES ET GRVES.

Turba Gruum prato dũ gramen & Anſer in
Carpit, adeſt auceps, inſidiasq; parat.
Adiutas leuitate Grues ſua corporis auſert
Ala, nequit pennis Anſer inire fugam.
Quem dum tardat onus laßatis corporis ali
Aucupis infeſtis præda fit illa dolis.

EPIMYTHION.

Cùm qua ſuos hoſti dedit urbs obnoxia ciues,
Tum plus turba mali paupere diues adit.

SIMIA.

Cuncta iubet ueniant animalia Iupiter olim,
Sit cui plus alijs pulcra propago, notet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Oſtentator adeſt, & prolem Simius affert,
Quodq́; ſit in toto pulcrior orbe negat.
Scilicet huic ideo nudæ ſine tegmine nates
Sunt, decus hoc formæ, Iupiter, addit, ait.

EPIMYTHION.

Nempe ſuas qui res, proprios ſeu iactat honores,
Vt laus illa ſuo ſordeat ore, facit.

PISCATOR ET SMARIS.

Piſciculum eſſe ferunt exili corpore Smarim,
Hoc ſpecie referens prenditur una genus.
Quæ, ne mi piſcator, ait, mihi ſurripe uitam,
Sum quia parua, precor me ſupereſſe ſinas.
Me grandem matura ſtatim cum fecerit ætas,
Non renuam demum te cupiente capi.
Huic ait ille: meam traheret ueſania mentem,
Hac emerem ſi ſpem conditione tui.

EPIMYTHION.

Deſipiunt, qui parua, parēt ut magna, relinquunt,
Namq; frui modicis utile rebus erit.

CICADA ET FORMICA.

Dum madidas ſiccant hyberno tempore fruges
Formicæ, acta fame fortè Cicada uenit.
Seq́; cibo paſci Cereali triſtior orat,
Hoc nī fiat ait ſum peritura fame.
Huic illæ: par eſſe cibos æſtate parari,
Non nunc ore peti paupere, dum ſit hyems.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Hæc quibus, apta foret ſolitis cùm luſibus æſtas,
More meo cecini tunc ego ſemper, ait.
Reſpondent hæ: ſi tunc ars tibi trita canendi eſt,
Nunc ſaltare licet, dum fera ſæuit hyems.

EPIMYTHION.

Tempora quærendis ne rebus idonea ſpernas,
Ne, quibus indigeas, deſtituare bonis.

TAVRVS ET HIRCVS.

Fortè Leo Taurum fugientem ponè fatigat,
Hircus ut in caulam ſe ſinat ire rogat.
Sed prohibente pedes huc ferre ferocius Hirco,
Geſtibus irati pectoris uſus ait:
Eſſet utroq; ſequens huc nî robuſtior hoſtis,
Te prior arguerem quà ratione forem.

EPIMYTHION.

Debilium quondam tolerari iniuria debet,
Horum, ope uindictæ qui ualuêre, metu.

LVPVS ET MVLIER.

Dum uexante fame loca deuia multa frequentat,
Se Lupus agricolæ contulit ante domum:
Hîc puerum plorare notat, matremq; minari:
Nî taceas, rapidis proijciere Lupis.
Verba Lupo faciunt ſtulto ſpem talia prædæ,
Opperiens totum conterit ergo diem.
At ſubeunte notat miteſcere nocte parentem,
Quæ puerum blandis uocibus uſa fouet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sis animo mi ſecuro modò pupule dixit,
Non mittam te, ſum ceu minitata, Lupis.
Spe Lupus ergo dolens ait hac deriſus inani,
Hîc aliter fieri uerbáq;, resq; ſolent.

EPIMYTHION.

Non promiſſa fidem debent citò quæq; mereri,
Sæpius à uerbis mens aliena latet.

TESTVDO ET AQVILA.

Artem ſtulta parat teſtudo ſcire uolandi,
Hinc Aquilam cœptis talibus orat opem.
Hæc inimica tuæ naturæ uota uidentur
Regia ueſani pectoris ales ait.
Illa tamen nihilo magis hanc urgere ueretur,
Se uolucrem fieri qua ratione iuuet.
Arripit hanc Aquilæ celer impetus ergo ſub au-
Mittere ſublimem deſuper unde parat. (ras,
Sic ſine uentoſis dum Cochlea decidit alis,
Durius in rupem miſſa repentè perit.

EPIMYTHION.

Conſilijs parêre bonis quos cæca cupido
Non ſinit, hi miſerè ſæpe perire ſolent.

CANCRI.

Quin incede gradu recto cariſsima proles,
Fortè pater quodam tempore Cancer ait.
Quæ: factura lubens ſum, quod mi pappule mãdas,
Si uideam te, quæ præcipis, antè ſequi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Praua nocent mirè natis exempla parentum,
In ſobolem mores patris abire ſolent.

SOL ET AQVILO.

De maiore duos Aquilonem robore uentum
Acriter, & Solem dimicuiſſe ferunt.
Et ſtatuiſſe modum, prior illo uictor ut eſſet,
Veſte uiatorem deſpoliaret uter.
Ergo uirum peregrè quàm primùm uidit eunte[m]
Ventus in hunc diro flamine cœpit agi.
Sed ciet ille minax uim quô crudelius omnem,
Fortior hoc acri Marte uiator adeſt.
Continet hoc maiore uagam conamine ueſtem,
Nec ſinit hoc pugnam continuante rapi.
At mittente ſuum rapide iam ſole calorem,
Fama uiatorem ſuccubuiſſe refert.
Namq; fatigari nimio dum reſpuit æſtu,
Corpore nudari membra calente tulit.

EPIMYTHION.

Non hi præcipuè pollent qui robore uincunt,
Conſilij perages omnia uictor ope.

DE ASINO INDVTO LEONINA PEL[LE]

Veſtiuiſſe ferunt ſe pelle Leonis Aſellum,
Poßit ut hac credi fraude iuuante Leo.
Cumq; feris hominũ genus hunc ſtupuiſſe fure[t]
Quo nimis hæc uti beſtia uiſa fuit.
Eminuêre tamen longæ quia protinus aures,
Mox ſtolidum pandunt talia ſigna dolum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Agnita piſtrini duros fera ferre labores
Cogitur, hæc ficti pœna Leonis erat.

EPIMYTHION.

Arroget ut magnam ſibi ſtulta ſuperbia laudem,
Fraude patente tamen laus ea crimen erit.

VERMICVLVS ET VVLPES.

Squallidus ex olido prorepens ſtercore Vermis,
Artem ſe medicam noſſe ſuperbus ait.
Nec ratione parem ſanandi Pæona morbos,
Sæpe refert uſos quo tamen eſſe Deos.
Sed cum mẽbra forent deformibus horrida rugis
Vermiculo, nec, ceu diceret, eſſet idem:
Cura tui primùm Vulpecula debuit inquit
Eſſe, dehinc alijs ferre decebit opem.

Narratur hæc fabula & de Rana prorſus eodem ſenſu.

EPIMYTHION.

Oſtentare nefas eſt, quam non noueris, artem,
Nam pudor inſcitiæ mox ſolet auſa ſequi.

CANIS MORDAX.

Cùm Canis eſſet hero mordax ratione cauendi,
Tinnula de collo forſitan æra gerit.
Hoc habito ſibi ceu uirtutis honore ſuperbit,
Et præ ſe ſocios deſpicit inde canes.
Hunc ætate graui monet unus: inepte quid audes?
Indolis hæc prauæ nuncia ſigna geris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Æris enim uitium tinnitu infame notatur,
Quod nota mortales uiſa cauere monet.

EPIMYTHION.

Sic dementat iners multos ueſania morum,
Vt ſcelerum placeant hi ſibi ſæpe notis.

CAMELVS.

Cornibus armari deformem oraſſe Camelum
A Ioue, ſed fieri non potuiſſe ferunt.
Namq; preces ridens ſtolidas is truncat & aures,
Sic deforme, ſimul corpus inerme facit.

EPIMYTHION.

Res urgere Deum ſtultis turpiſsima uotis,
Nam prodeſſe nihil, ſæpe nocere ſolent.

VRSI PRÆCEPTVM.

Tanta duos longo concordia iunxerat uſu,
Quanta poteſt ullo fortè fauore coli.
His iter eſſet ubi quondam commune duobus,
Et loca ſyluarum prætereunda forent:
Obuius ingentem quia fert his impetus Vrſum,
Arboris aſcenſæ mox petit alter opem.
Alter in exanimes non iram audiuerat artus
Eſſe feræ, ſeſe hoc nomine ſternit humo.
Quoq; poteſt animum niſu cohibere laborat,
Halitus ut uitæ non daret ore notam.
Applicat os ori recubantis & auribus aures
Vrſus, & hunc credens eſſe cadauer abit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Illa uiatores formidine liberat ambos
Spes, iter ergo duo continuare parant.
Bellua tum ſocio quidnam muſſauit in aurem,
Arboris auxilio qui fuit uſus, ait?
Multa quidem, referenda tamen non cuilibet, in- (quit
Ille, ſed imprimis iſtius autor erat:
Vti ne quoquam mihi fortè uiderer amico,
Explorata parum ſi foret antè fides.

EPIMYTHION.

Ni uelut igne probes aurum, ſic durus amicum
Caſus, an huic res ſit fidere tuta, latet.

CRINES ALIENI.

Vir caluo capiti peregrinos addere crines
Audet, ut hoc tali dedecus arte tegat.
Quos uenti uehemens tamen huic ſemel impetus (aufert,
Caluicies facto quo manifeſta patet.
Quam cum riderent alij, ſic ille refutat:
Quid mirum, mihi ſi res aliena perit?

EPIMYTHION.

Non adimi forti prudentes pectore curant
Res, fortuna ſuis quæ dedit uſa modis.

OLLA ET LEBES.

Vndæ ui Lebes fluitantis & Olla natabant,
Duriciem ſocij fictilis Olla timet.
Æneus huic Lebes, tene ulla pericula terrent,
Non tibi concurſu ſum nociturus, ait.

Huic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Huic ſic Olla: mihi tua non ſuſpecta uoluntas,
Fortuiti caſus damna timenda puto.

EPIMYTHION.

Plebeis non ſunt commercia tuta potentum,
Namq; impunè nocent, cum uoluêre, uiris.

AGRICOLA.

En opus exercens fodiendi Ruſticus agrum,
Grande ſuos aurum repperit ante pedes.
Gratus ut ergo dato terræ pro munere dici
Ille queat, ſertis hanc redimire ſolet.
Hoc ægre Fortuna ferens accedit & inquit:
Cur accepta mihi non ea dona refers?

EPIMYTHION.

Autores meriti qui ſint, agnoſcere fas eſt,
His ſit ut accepto gratia digna bono.

GRVS ET PAVO.

Pauo Gruem temnens, pennarum oſtentat honorē,
Teq; uide quantò ſim prior ales, ait.
Inde leuans altè ſe Grus ita farier inſit:
Quàm leuis ala mihi, ſit tibi tarda uide.

EPIMYTHION.

Quam natura parens rem denegat, obijce nulli,
Et bona ſunt alijs, quæ tibi deeſſe putes.

Arundo & Quercus, Aliàs Olea
quod perinde eſt.

Cum Quercu litem de robore mouit Arundo,
Firmior illarum uiribus utra foret.

Sed

Sed quercu dicente leuem quòd mobilis auram
Paſſa ſtatim nutum corpore canna daret:
Huic indignabunda nihil reſpondet Arundo,
Sed fortuna breui quam tamen ulta fuit.
Quercus enim moti ui frangitur, eruta uenti,
Salua ſed à tali manſit Arundo malo.
In latus illa poteſt quia flexilis omne moueri,
Hac temerè frangi mobilitate nequit.

EPIMYTHION.

Robore cui par eſſe nequis, huic cedere laus eſt,
Magna Deo quamuis ſæpe uolente cadant.

TIGRIS.

Venatore feras procul inſectante ſagittis,
Hæ pede præcipiti corripuère fugam.
Sic fugerent aliæ cùm protinus, effera pugnam
Freta ſequi ualido robore Tigris adeſt.
Sed femur ille feræ iaculi clàm traijcit ictu,
Scire ſat autorem uulneris unde nequit.
Quem dum quærit, adeſt Vulpecula, teq; ferarũ
Optima quis triſti uulnere læſit? ait.
Quæ reſpondet, abeſt nunc, quem feciſſe putârim,
Sed docet hoc factum ui grauiore dolor.

EPIMYTHION.

Plus alijs temerè, pollent qui uiribus, audent,
Vnde graues caſus ſæpe ſubire ſolent.

BOVES ET LEO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Tres aliquando Boues concordia tanta manebat,
Eſſet ut à nullis uis metuenda feris.
Ac tentare quidem nil ipſi immane Leones
Auderent ſocij roboris uſq; metu.
Sed cùm diſsidij pax rupta furore fuiſſet,
Robore diſtracto non potuêre tegi.

EPIMYTHION.

Rebus ineſſe facit magnas concordia uires,
Qua pereunte prius quæ ualuêre, ruunt.

ARIES ET DVMETA.

Fortè loquens Abies ſylueſtribus ardua dumis
Contemtu temerè crimina plena ſonat.
Huic illæ: quo ſola modo procerior aſtas,
Hoc mala te nobis deteriora petunt.
Nam tibi non tantum Dij fulmina ſæua minātur,
Non mortale genus te quoq; ſtare ſinit.

EPIMYTHION.

Quantumuis alij te non æquare uidentur,
Ne tamen hos pær te dixeris eſſe nihil.

AVICVLA ET MESSIS.

Mater adhuc auis implumes ſeruabat in herbis
Pullos, iam noua quo tempore meſsis erat.
Campos ergo cibum quoties lectura petebat,
Progenies fido cauta ſit ore iubet.
Quæq; geri uideat, decerniue aure notârit,
Poſsit ut illa loqui ſe redeunte, monet.

Audieram

Audierant pulli quòd heri decidere fruges
Forſan amicorum cura pararet ope.
Hoc Auis haudquaquam reſponſo territa, uictum
Colligat aſſuetis auolat uſa modis.
Cùm redit, hi dominum ſic decreuiſſe loquuntur
Vt conſanguinei tale ſequantur opus.
Hoc ſecura mali quoq; narrat inane timeri,
His fore nam curæ nil aliena refert.
At didiciſſet ubi cum nato, cumq́; miniſtris,
Velle nouæ fruges carpere meſſis herum,
Non dubitās huic quòd curæ magis omnibus uni
Res foret, hoc pullos amouet illa loco.

EPIMYTHION.

Qui curare tuas felix res cunq; laboras,
Ipſe geras, alijs eſt quia rara fides.

INVIDVS.

Iupiter humanas cupiens cognoſcere mentes,
Vt terras ideo mandat Apollo petat.
Noſſe uoluntates qui quauis arte laboret,
Summus ut hoc teneat deinde docente pater.
Obuius huic primùm fit auarus & inuidus alter,
Quam rem cunq; uelint, hos iubet ille, petant.
Sic tamen ut poſci quicquid potuiſſet ab uno,
Hoc cedente duplum tolleret alter idem.
Inuidus unde nihil poſcente petiuit Auaro,
Vno mox oculo ſe Deus eſſe uelit.

Mentis auarus inops ut ſic amitteret ambos,
Inuidus ipſe ſibi ſic, ſocioq; nocet.

EPIMYTHION.

Crimen auaritiæ deprauat inutile mores,
Sed magis inuidiæ nôris obeſſe lucem.

CORNIX SITIENS.

Cùm uacuam ſitiens cornix offenderet urnam,
Imus in hac modicam fundus habebat aquam,
Arida quam roſtro cùm non haurire ualeret,
Callida non uanæ conſulit artis opem:
Inijcit, attollant humorem ritè, lapillos,
Hoc elata modo poßit ut unda bibi.

EPIMYTHION.

Viribus acquiri res quæ quandoq; recuſant,
Arte geri ſeſe ſæpe ſagace ſinunt.

De Homine lapideo & Leone lapideo.

Quippe fatigabat generoſum lite Leonem,
Robore deterior ſe quòd is eſſet, Homo.
Et quò uerba fidem, quæ uera uolebat, haberent,
Saxea monſtrari cœpit imago Leo.
Effigies pede quem proſtratū humana premebat,
Artifici è Pario marmare facta manu.
At ſi noſtra Leo gens hanc quoq; calleat artem
Sculpendi, fueris haud ita luſor, ait.
Túnc quia mortales etiam calcante Leonum
Sub pede monſtrarem duriter ipſe premi.

EPI-

EPIMYTHION.

Oſtentare tuæ noli uirtutis honorem,
Ni pro laude tibi dedecus eſſe uelis.

PVER FALLAX.

Ad puteum reſidens querulo puer ore quiritat,
Ergo rogans, quidnam ploret, auarus adeſt.
Cui puer ò miſerum, miſerum me callidus inquit,
Et lacrymis plus, quàm fecerat antè, madet.
Ac quærente miſer ſibi cur uideatur Auaro,
Ille ſitella refert aurea forſan erat:
Quam quia delapſam putei mentitur in undas,
Quærendam medijs ſentit Auarus aquis.
Ergo parum reputans puerum ſic fingere fraudē,
In putei nudo corpore uenit aquas.
At puer interea ſublatis ueſtibus aufert
In loca ui celeri ſe nemoroſa pedum.

EPIMYTHION.

Adfectare ſibi qui non aliena uerentur,
Perdere res etiam, quas habuêre, ſolent.

RVSTICVS ET IVVENCVS.

Ad ducenda diu nutriuit aratra Iuuencum
Ruſticus, & cœpti ſpe meliore fuit.
Sed ratione ferox quia reſpuit ille domari,
Atq; minax nimium cornibus eſſe ſolet.
Cornua truncat heri manus & ſic iungit aratro,
Ipſe ſequens ſtiuam pone tenere parat.

At nec ſic iuſſo ſat idoneus eſſe labori
Cernitur, atq; iugi ferre recuſat onus.
Et trunco terram cornu deſæuit in ipſam,
Viq; feræ ſparſim calcis arena uolat.
Occupat os, oculosq; ſuo ſic oſor aratri
Taurus hero, qui ſpe iam pereunte dolet.

EPIMYTHION.

Praua feros adeo quoſdam natura fatetur,
Poßit ut hos ullis nemo domare minis.

DE FAVNO ET VIATORE.

Tecta Viatorem ſua Faunus adire monebat,
Vidit ut hyberno penè perire gelu.
Qui quia ſæpè manus expirans ore calorem
Calfacit, hæc quid uult res ſibi, Faunus ait?
Ille refert manuum ſe ſic lenire rigorem,
Hoſpes ut officij deneget ergo nihil.
Huic phialam uino plenam feruente miniſtrat,
Et iubet hoc refici membra fouente uelit.
Sed quia ſpirat iners tunc frigus ab ore Viator,
Cedere quo manuum fecerat antè gelu.
Feruoremq; refert minui ſic oris ab auris,
Poßit ut hoc unum deficiente bibi.
Tũc age Faunus ait, pede te procul aufer euntem,
Qui calidum cum uis flare, geluq; potes.
Nam nec amiciciam tecum mihi inire uoluptas,
Nec tua uita ſuis moribus uſa placet.

MORA-

MORALE.

Mente leui uarios audent qui ſumere mores,
Hos uitare tuum noueris eſſe uiros.

ASINVS EXCORS.

Ægrotare graues morbi fecere Leonem,
Ergo cibum Vulpes quærat amica rogat.
Qui uadens Aſino, qui ſolus oberrat in agris,
Paſcua num ſocio nemine carpis ait?
Quin tibi non ignota lubens animalia mecum
Viſis, in hoc quæ ſunt iuſſa uenire nemus?
Præbet Aſellus iners dictis fallacibus aures,
Moxq; dat inſidijs, quas ſtruit ille, locum.
Venit ut ægroti cum Vulpe ſub antra Leonis,
Hunc fera, ſed fruſtra, cæde domare parat.
Namq; tenere parum morbo prohibente ualebat,
Vnde fugæ gratam ſenſit Aſellus opem.
Hinc à Vulpe Leo petit, arte reducere tentet,
Quod Vulpes fieri uix ita poſſe refert.
Vix habitura fidem quia nunc eſt beſtia nobis,
Quid tamen hic poſſim fraude, probabor, ait.
Inde loco ueteri pecus inſidioſa requirit,
Et te, quale refert fama, uidemus, ait.
Eſſe malis & agreſte tuis te moribus aiunt,
Quod uerum uicio deteriore probas.
Nam quibus eſſe ſoles cariſſimus, effugis horum
Amplexus, ſtolidæ res ea mentis opus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Nempe tui deſiderium quos acre tenebat,
Qui nec apud ſeſe penè fuêre, fugis.
Si ſapis hos morum geſtu meliore reuiſas,
Et bene me dices conſuluiſſe tibi.
Fraude reuiſendi fuit hac cui mota Leonem,
Hoc impunè putans poſſe cupido geri.
Quo ueniente Leo totis ſe uiribus armat,
Et prenſum iugulo, ceu iubet ira, necat.
Mactatamq; recens carnem iubet eluat undis
Vulpes, more coquæ quæ parat inde cibum.
Quæ cum corde feræ præmorſas deuorat aures,
Quæ pecori ludens ore fuiſſe negat.
Quærit ut ergo Leo, qui fiat: an ille rediret,
Ni foret his membris corporis orbus, ait.

EPIMYTHION.

Quos nunquam cautos iterata pericula reddunt,
Deniq; funeſto fine perire ſolent.

EADEM DE APRO.

Cepit Aprum ſolers, unam cui deſecat aurem
Ruſticus, hac mancum rurſus abire ſinit.
Hunc iterum caſu cùm retia dante tenerent,
Altera tunc mox huic auris ademta fuit.
Tertia ſed poſtquam fecêre pericula prædam,
Non uelut antè necem uitat ineptus Aper.
Ruſticus hunc mittens, cui debet in urbe, patrono
Huic aures ſolitas corq; fuiſſe negat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Diſcit iners qui non uitare pericula damno,
Exitij tandem cauſa fit ipſe ſui.

MVS ET TAVRVS.

Mordicus ore pedem Mus fuſi corpore Tauri
Arripit & facto uulnere curſor abit.
Ille fremẽs paßim profugum circumſpicit hoſtẽ,
Et ſtomachabundis geſtibus uſus adeſt.
Tum iactaſſe ferunt tumido ſe pectore Murem,
Auſpice ſe Tauro mota quòd ira foret.

EPIMYTHION.

Turpe, parum quicunq; poteſt, oſtendere uires,
Sæpe tamen magno paruus obeſſe ſolet.

BVBVLCVS.

Ligna domum curru duci cœpere Bubulco,
Sed uia ſtare luto quem ſalebroſa facit.
Hic orante Deos miſer ore, Deasq; fatigat,
Vt plauſtri releuent hi remorantis onus.
Herculis inprimis ope magni flatigat uti,
Quem putat ante alios robur habere Deos.
Herentem ille tamen currum non ipſe iuuabat,
Amphitryoniades aduenit unde Deus.
Admoueasq; manũ plauſtro prius ipſemet, inquit,
Experiaris opem poſcere deinde Deos.
Ipſe tibi, ne, dum deſis, des irrita uentis
Vota, Deũmq; aures claudere turba uelit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Auxilio promtos facili releuare labores,
Gaudet at ignauis tardus adeſſe Deus.

GALLINA AVRIPARA.

Auriparam campi Gallinam cultor habebat,
Oua boni magni quæ pariebat opes.
Ille putans auri quam fortè recondere maßam
Intus, iners ſecto corpore mactat auem.
Quæ diſſecta tamen nil amplius exhibet aluo,
Nominis huius aues quàm quod habere ſolent.
His ſic diuitijs illum orbat auara cupido,
Quæ uel theſauri diuitis inſtar erant.

EPIMYTHION.

Qui, cui non fortuna negat res, plura requirit,
Sæpè petens dubium perdere certa ſolet.

SIMIA.

Fertur amare ſuos ardenti Simia natos
Pectore, ſi qua parens ſed tulit una duos:
Cara ſuæ tamen eſt matri magis altera proles,
Hanc fouet, hanc ulnis geſtat amica ſuis.
Idq; adeo, amplexu necet hanc ut ſæpe frequenti,
Quod non præ nimio mater amore cauet.
Vnde canes gemino fugiens olim anxia fœtu,
Vna, manu, quem plus diligit illa, tenet.
Vnum pendentem uaga de ceruice gerebat,
Vt trepidam matrem ponè premente canum.

Hinc quē dextra tenet, manus hūc laſſata remittit,
  Mox auidi prædam quem petiêre canes.
At qui matris onus de collo dulce pependit,
  Liber ab exitio ponè ſequente manet.
Tunc ardore pari genitrix quem diligit unum,
  Ceu complexa prius quo dolet orba, fuit.

EPIMYTHION.

Huic quæ ſæpe nocent, illi prodeſſe uidemus,
  Sæpe quis & melius, cum perit alter, habet.

BOS ET IVVENCVS.

Ante Bouem petulans confectum ætate Iuuencus
  Stabat, & obijciens multa moleſtus erat.
Quàm rigoſus ait deformi corpore ſqualles,
  Quàmq; cutem ſentam ruga ſenilis arat.
Quàm caret illa pilis, quàm ſcabra rigeſcit & horret,
  At niteāt cõtra quàm mea terga, uides
Hoſtia ſed quià mox mactanda Iuuencus ad aram
  Ducitur, ut uetulum præterit ille Bouem,
Ingrediens uultu demiſſo tardat eundo,
  Iſta ſenex doleo qui mala Taurus ait.
Has equidem mallem tua non laſciuia pœnas
  Penderet, at quia res non ſecus eſſe poteſt:
Hoc tamen ipſe, mei quod me docuêre parentes,
  Quòd uerum uideo ſine probante iuuat:
Quod uarijs ultrò uicijs obnoxia pubes
  In mala, cùm petulans cœperit eſſe, cadat.

EPIMYTHION.

Inſultare caue, ſenio cui tempora canent,
Qui facis hoc, pœnas experiêre tuas.

PISCIS LVPVS.

Viribus excellens & grandi corpore piſcis,
Imperium fluuij cœpit obire Lupus:
Incipit hic uitam quia faſtidire priorem,
Affectanda ſibi regna marina putat.
Ergo ſuum linquens mox flumẽ in æquora uenit,
Cui delphinus ouans obuius ire natat.
Quem ſubitò geſtu præbente ferocius hoſtem,
Se Lupus in fluuij ſtagna priora refert.

EPIMYTHION.

Fretus ut eſſe, tibi quæ ſubſunt, uiribus auſis,
Inuenies multos, par quibus eſſe nequis.

PARDVS ET VVLPES.

Eſt fera tota cutem maculis diſtincta colorum
Pardus, ad hanc Vulpes lite moleſta uenit.
Seq́; refert formæ donis excellere miris,
Pardus idem cupiens pulcrior eſſe negat.
Iudice res anceps componi cœpit echino,
At cupido palmæ pectore Pardus ait:
Hos meritò formæ præſtantes laude uideri,
Suſpiceret quorúm plurima turba decus.
Ceu loca, diuerſo quæ flore uirentia rident,
Mentem, ſi uideas, hæc oculoſq́; iuuant:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sic uariam pellem iucunda uidere uoluptas
　Eſt animis hominum, ſic oculiſq; meam.
Iuſſa docere ſuam hac de re Vulpecula mentem,
　Ne foris heus tu me noſce, ſed intus, ait.
Non de pelle uelim me, ſed de mente uideri,
　Huic oppone decus tale colore tuum.

EPIMYTHION.

Non ſpecies externa ſuum quibus addit honorem,
　Ingenij ſunt hæc anteferenda bonis.

ICTIS.

Sylueſtrem dici muſtelam diſcimus Ictim,
　Cuius erat priſco tempore cara cutis.
Hac quia moris erat galeas obducere quondam,
　Ire ſemel Vulpes qua comitante parat.
Dumq; uiam carpunt, Vulpes, quas calleat artes,
　Quærit, at illa: niſi docta ſalire, nihil.
At mihi mille ferunt artes læſura cauendi,
　Quærendiq; cibos, huic comes inquit, opem.
Vnde ſuis illam laudatrix uocibus effert,
　Felicemq; modis omnibus Ictis ait.
At dum uerba gradum carpendo talia cædunt,
　Hæ latrare canes non procul aure notant.
Hoc uenatorem putat Ictis adeſſe ſequentem
　Indicio, celerem penè ſecuta fugam.
Cui Vulpes: hunc exitij ne finge timorem,
　Caſus adhuc pauido pectore dignus abeſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

At latratus ubi his iam clarior attigit aures,
Ad comitem Vulpes, nunc fugiamus, ait.
Ictis ad hanc: etiam mihi nunc mea cauſa morandi,
Interea lentis imminuêre canes.
Tum procera ſtatim ſylueſtri ſcanditur arbos
Beſtiolæ, Vulpes pone prehenſa perit.
Huic comes illudens, quæ uitat in arbore mortẽ,
Conſule tu uariæ nunc ait artis opem.
Te quia mille uias cum dixeris eſſe tuendi,
Cur nunc ore canem dilaceranda peris?

MORALE.

Qui, quæ non poſſunt, iactare ſuperbius audent,
Stulticiæ damnum triſte ſubinde petit.

SIMIA.

Simia purpureo cùm compta fuiſſet amictu,
Edere ſaltandi docta iubetur opus.
Noſſe ſat hanc ſtudio cum uiſa fuiſſet & uſu,
Ludere rem uulgo iuſſa uidente fuit.
Qua ſaltante nuces ſed quidam ſpargere cœpit,
Poſthabita quas hac arte ſecuta fuit.

EPIMYTHION.

Vt uires omnes uaſer experiaris & artes,
Naturæ uicium tollere nemo poteſt.

ASINVS CONTROVERSVS.

Fama duos unà peregrinas iſſe ſub oras,
Præbuit his quô tunc res peragenda uiam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Hi campis Aſinum deſertis ire notabant,
Quem facit hic rixis uſus, & ille ſuum.
Sed dum iure ſuum contendit uterq; probari,
Qui tamen errat adhuc liber, heroq; caret:
Dum uiſum ille ſibi prius aſſerit, ille refutat,
Spem procul aufugiens fallit utriq; pecus.

EPIMYTHION.

Acquiri placidè quæ ſæpe liceret agendo,
Futilis amitti lis aliquando facit.

PISCATORES ET TESTVDINES.

Concharum ſaturos cùm nauſea carne teneret,
Arte ualent piſces qui capiente, uiros.
Mercurium tunc rura Deum qui præterit orant,
Vt conuiua cibis his uelit ille frui.
Qui qua mente uocent ſe non ignarus, ut ipſi
Has epulas comedant ore uorace, iubet.
Nec ſe conuiuam poſt prandia facta requirant,
Cùm plus turpis edi nauſea mota uetet.

EPIMYTHION.

Qui dare non alijs, quæ nauſeat, ipſe ueretur,
Deſipit, hæc quoniam facta fauore carent.

AQVILA ET SCARABÆVS.

Anxius orat opem Scarabæi urgentibus olim
Inſidijs Aquilæ, uiq; premente Lepus.
Vnde petens Aquilam Scarabæus ut ira nocendi
Ceſſet, et incipiat mitior eſſe rogat.

Et ſe, parua licet ſit inermi corpore moles,
Non tamen idcirco temnat ut illa, monet.
At nil curat Auis Scarabæi regia uocem,
Et ſubitò Leporem prendit & ore uorat.
Quam Scarabæus ut ulciſci clàm uindice poßit
Fraude, ſequi, pernix quâ rapit ala, parat.
Et cùm conſilio daret huic occaſio uires,
E nidis Aquilæ deijcit Oua ſuis.
Fraus Auium illa grauem Reginæ commouet irã,
Tentat in aëreis rem magis ergo iugis.
Euentu ſimili magnum ſed paſſa pudorem,
Cuius auem dicunt, mox petit illa Iouem.
In gremio pariens locat illius oua uiciſsim,
Hæc fœtura bono ſed quoq; fine caret.
Miſit enim cœni globulum Scarabæus cõdem,
Reijcit hunc quia mox Iupiter, oua cadunt.
Durius hinc illiſa ſolo franguntur abeno,
Res hæc uiſa Iouem digna pudore mouet.
Vt, ſimul hanc iuſtam Scarabæi uindicis iram
Colligit eſſe, graui pectore damnet Auem.
Non modo quæ precibus Scarabæi clauſerit aures,
Leſerit ouorum ſed quoq; mole Iouem.
At quia non Aquilæ genus omne perire uolebat,
Illa ſuo pacem ſuadet ab hoſte, petat.
Quem quia placari non ira ſuperba ſinebat,
Poßit ubi tutò degere, quærit Auis.

EPI-

EPIMYTHION.

Eſt adeo cuiquam non robur inane nocendi,
Poßit ut hic uindex non ſemel eſſe ſui.

VVLPES ET AVICVLÆ.

Vna diu perpeſſa famem dum quærere Vulpes,
Nequicquam ueteri nititur arte cibum:
Seſe abiecit humi, ſic præ mærore iacebat,
Deq; ſuo tacitè queſta dolore fuit.
Eſſe ratæ quam defunctam propiore uolatu,
Huc ignara doli turba feruntur Aues.
Hoc animam uiſo Vulpes aſtuta tenebat,
Nullaq; ſpirandi corpore ſigna dabat.
Eſſe putant tali perſuaſæ fraude cadauer,
Spectandiq; petunt more frequentur Aues.
Inſiliunt aliquæ tergo recubantis & audent
Exercere metu nil prohibente iocos.
Tempus ut ergo dolo fore iudicat utile Vulpes,
Exiliens, ſibi quæ proxima, prendit Auem.
Hanc renouare parat fraudem quoq; luce ſequẽti,
Callida ſed cornix huic (ut opinor) ait:
Si pellem de ſepe tuam pendêre uiderem,
Non ego in hanc temerè ſtulta uolare uelim.

EPIMYTHION.

Fraudibus aſſueti tum, quando quieſcere credas,
Ad ſolitos redeunt more priore dolos.

AVES ET NOCTVA.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Noctua, fecit Auem quam gens antiqua Mineruæ,
Aligero ſyluas à grege iuſſa petat.
Sublimiq; ſuum ſuſpendat in arbore nidum,
Obſequium monitis non modo cauta negat:
Sed ſimul oſtenſæ roſtris concerpere frondes,
Arboris incipiant acriter urget Aues.
At ſtolidas nil mouit Aues hoc Noctua ſuaſu,
Stulticiæ ſerò quæ doluêre malum.
Namq; tenace ſtatim uiſco pòſt liquitur arbos,
Quo captas miſerè ſe gemuêre mori.

EPIMYTHION.

Sæpe ſalutari qui non obſtare uerentur
Conſilio, ſerò ſe periſſe dolent.

CVCVRBITA ET PALMA.

Ad palmæ naſcens uentroſa Cucurbita ſtirpem,
Creſcendi uires imbre rigata trahit.
Arboris hinc æquans mox ſumma cacumina mole,
Illa ſit hanc quanto tempore nacta rogat.
Palma refert: uix nos ſic centum ereximus annis
Cui Cucumis: melius te decus ergo meum.
Non totidem ipſa dies creui, tu penè quot annos
Nec tamen attollo te minus alta caput.
Huic breuiore tamen cùm matureſceret ætas
Tempore, nec radix arida ferret opem.
Incrementa modo ſua ſe iactaſſe proteruo
Conijcit, & uicium futile mœſta dolet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Magna breui quæ mox, ſpecioſaq; tempore ſiunt,
Durandi ualidè debile robur habent.

CORVVS, LVPI.

Parta feris foret ampla Lupis cùm præda, petiuit
Parte, darent paruam quàm modò, Coruus ali.
Huic illi: prædæ te ſpes ſequerère iubebat,
Non noſtri, faceres iſta, coëgit amor.
Mens tua ſic adfecta, quidem ut ne parcere nobis
Ipſe uelis, fieri ſi modò fata ſinant.

EPIMYTHION.

Non quam quisq; gerat rem, ſed qua mente uiden=
Fraus ficti ſpecie tecta ſubinde latet. (dum eſt,

MVS.

Ciſta diu ſeruârat ubi iam lignea Murem,
Cui modò larga cibum præbuit illa nuces.
Ille moræ tandem pertæſus inutilis exit,
Atq; ſuam currens ambulat ante domum.
Naribus hic gratum toſti uagus haurit odorem,
Quem de relliquijs clauſerat arca, cibi.
Illius hic auido guſtauit ut ore ſaporem,
Hæc melior ueteri uita ſequetur, ait.

EPIMYTHION.

Sæpe latere domi ſolitis eſt nulla uoluptas,
Qui foris eſſe ſtatu ſe meliore uident.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

AGRICOLA.

Ruſticus aßiduo Cererem qui more colebat,
Nulla ſuæ ſegeti creſcat ariſta rogat.
Elidi paleis citius ſic poſſe putabat
Grana, tenax aliàs illa putamen habet.
Sic iam cana ſuis quia non muniuit ariſtis
Se ſeges, excutiunt grana frequenter aues.
Vallus ariſtarum non illa petentibus obſtat,
Vnde ſuas ægrè ſpica tuetur opes.

EPIMYTHION.

Vota ſequi uicium temeraria futile rerum,
Spes inhians lucris fallere ſæpè ſolet.

ACCIPITER, COLVMBA.

Impetus acer erat uexandi ponè columbam
Accipitri, quam ſic prædo fatigat auem.
Intra tecta ſequens hanc uni ruſtica uenit,
Captus ibi hac hominem ſupplice uoce rogat:
Me factis quia nulla meis iniuria læſit,
Te precor ô miti uiuere mente ſinas.
Nec læſere ſceleſte mei te uillicus inquit,
Et ſimul infeſto ſtrangulat ungue gulam.

EPIMYTHION.

Principis eſt ſibi ſubiectos hac lege tueri,
Quò propriæ curam more ſalutis habet.

ARANEA ET HIRVNDO.

Arte uagas muſcas qua uenaretur Hirundo,
Forſan Araneolum fama notaſſe refert.

Vnde ſuis fraudem moliri retibus audet,
Quæ facit, ut capiant nominis huius Auem.
At tenuem ſine ui telam perrupit Hirundo,
Hac ſubito totum lege diremit opus.
Tum deriſa meas nil dixit Aranea telas,
(Quæ Muſcas poterant fallere) curat Auis.

EPIMYTHION.

Irritare caue, prior eſt qui uiribus, hoſtem,
Nil, his ſi careas, futilis ira ualet.

AMNIVM SILENTIA.

Dum tranſire parat limoſi fluminis undam
Hâc, qua parte putat Ruſticus eſſe uadum.
Manat aquæ placidè quà uis, hâc occupat Amnem,
Corporis hîc mergi ſed graue ſentit onus.
Inde uiam tentans quà murmurat alueus undis,
Hâc iter optati comperit eſſe uadi:
Tunc non tam metui ſtrepidū decet inqt aquarū,
Quàm loca, quæ moto lenius amne ſilent.

EPIMYTHION.

Sunt minus hi nocui, qui uerba minantur & irant,
Quàm qui diſsimulant, quando nocere uolunt.

COLVMBA ET PICA.

Cur, ait, oua loco paris uno Pica Columbæ
Semper, & his illic incubuiſſe ſoles?
Quin hominum aſsiduis prudentior eſſe rapinis
Incipis, & pullis conſuluiſſe tuis?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Me mea ſimplicitas, perhibent dixiſſe Columbã,
Impedit, eſt alijs non malè uelle meum.

EPIMYTHION.

Simplicitas experta graues innoxia fraudes,
Quod modò cunq; ſubit, fert patienter onus.

CVCVLVS ET ACCIPITER.

Vnguibus Accipitrem roſtroq́; imitatur adunco,
Quem ſimili Cuculus penè colore refert.
Vermiculos huic eſſe cibum, uictumq́; loquuntur,
Quos ex arboreis frondibus ipſe legit.
Ceu uilem quos huic petulantius obijcit eſcam
Niſus, ad hunc qui ſic uerba ſuperba facit:
Quum tu me ſpectas, auium qui uiſcere prædo
Veſcor, & his ſoleo me ſaturare cibis?
Hæc animum Cuculi tum uerba dolore mouebant,
Quem fortuna breui pòſt tamen ulta fuit.
Namq; columbari pendentem cernit ab alto
Hic Niſum, reliquæ ſic abigantur aues.
Tunc ita fama bonum Cuculum cœpiſſe profari,
Vermiculi capiant me magis ergo mei.
Namq́; ego lauticias, quas illa pericula uendunt,
Nil moror, illa modo quo iuuet eſca gulam.

EPIMYTHION.

Tutior eſt fortuna bonis mediocribus uti,
Quàm ſplẽdore, manẽt quẽ malẽ magna, frui.

ASINVS ET VITVLVS.

Gramina cum Vitulo prati carpebat Aſellus,
His data tentandi ſigna fuẽre fugam.

Quæ

Quæ pulſata dabant trepidantibus æra colonis,
His ferus hoſtis ubi uiſus adeſſe fuit.
Tum Vitulo ſuadente fugã, fuge territe, cui mors
Eſt metuenda ſtatim mœſta, Iuuencus ait.
Me noua nulla manẽt mala, nã ſiue hoſtibus utar,
Siue alijs, me ſors ſerua fatigat, heris.

EPIMYTHION.

Ne uereare nouo certum mutare laborem,
Quem tamen eſt aliàs uſq; ſubire tuum.

PASTORES.

Paſtores comedunt ut ouem, geniumq; ſerenant,
Hanc Lupus aſtando rem notat ante caſam.
Qui meditans fraudem prædator ouilibus ibat,
Agna mihi qui ſi rapta fuiſſet, ait:
Cauſa forem quantæ tunc turbæ, impunè parentẽ
Hi cùm non ullo facta morante uorent.
Audijt unus, ouem qui quam conuiuia prandent
Noſtra ſceleſte, tui nil ea iuris, ait.

EPIMYTHION.

Qui quod poſſe uident, peccare licentius audent,
Nec curant alijs quid uideatur agi.

CAPI.

Moris aues caſtrare, uocant quos nomine Gallos,
Quòd fieri pingues hac ratione putant.
Lingua Latina Capos uocat, horũ experta ſagi-
Turba frequens fieri cœpit opima cibis. (nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Cura ſaginandi modo cui non profuit, uno
Excepto, reliquis qui quaſi riſus erat.
At mox quiſq; coco dici pinguißimus audit,
Quamq; ſaginato corpore mactet auem.
Nam docet ad lautam conuiuas adfore cœnam,
Quos tractare ſuum narrat amanter herus.
Tum ſtultos ſenſiſſe Capos ſibi quale mouerent
Membra malum cauſam mortis obeſa, ferunt.

EPIMYTHION.

Tutior eſt, quicunq; domi re paupere uiuit,
Quàm cui plena bonis turgeat arca ſuis.

EQVVS NOVITIVS.

Cùm mercatus Equum uili quidam ære fuiſſet,
Quo magis huic multò ſtrenuus alter erat.
Cui præferre nouum non omni parte ueretur,
Et magis hunc ſocio paſcere largus Equum.
Miraretur ut ipſe rogans, quæ cauſa, ſodalem,
Vt ſibi plus illo gratia proſit heri:
Cùm nec forma parem ſe, currendiue poteſtas,
Huic modicæ uires poſſe nec eſſe probent.
Huic ait alter: herum nunc morem reddere uulgi,
Cui noua conſuetis eſſe priora ſolent.

EPIMYTHION.

Sæpè ſolet rerum nouitas ita grata uideri,
Vt licet utilitas poßit abeſſe iuuet.

CANIS ET SVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sollerti ſeruire ſolent ratione doceri
Aucupijs, fieri quod ſolet arte, Canes.
Ingenioſa pari qui lege ſilentia diſcunt,
Siue minis, quas tunc uerba docentis habent:
Siue quòd ille manu latrantum uellicat aures,
Et quærantur aues uoce ſilente monet.
Deligit inſignes hos ſedula ſtirpe parentum
Cura, ſat ingenio ſintq; ſagace probat.
Obijcit horum uni Sus huius obeſſe laborem
Seruitij. me qui nil pudet huius ait.
Nam breuis eſt hæc cum ſuperata moleſtia nobis,
Perpetuò gratis ueſcimur inde cibis.

EPIMYTHION.

Ingenuas artes diſcendi uince laborem,
Harum quisquis amas utilitate frui.

TRABS ET BOVES.

Forte Trabem, tigni de qua ſtructura parari
Debuit, acta Boum plauſtra labore uehunt.
Increpat ille gradu lentos tardante iuuencos,
Quos pede ſegnitiem culpat eunte ſequi.
Cui dixêre boues: at faſce leuabimur iſto
Nos, quibus eſt iterum grata futura quies.
Cùm te, deinde dabunt homines quodcunq; gerēdi
Hauſerit, in cariem dum redigaris, onus.

EPIMYTHION.

Inſultare malum paſsis miſerabile noli,
Nam magis, ut fias tu miſer, eſſe poteſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

CARDVELIS.

Forſan auem puero, quam Graius Achãtida dicit,
Delitias ſummas fama fuiſſe refert.
Quæ cicurata diu ſpem, quam ſine fine manendi
Fecit, opem cœpto nacta feſellit Auis.
Auolat & ſurdas reuocanti porrigit aures,
In caueam nullis promta redire modis.
Tum puer illacrymãs, mea tu cur auſugis, inquit,
Quam, mea donec eras, rem tibi deeſſe tuli?
Illa refert: nullam, ſed non ideo ipſa reuerti,
Quam iuuat immunem carcere uita, uelim.

EPIMYTHION.

Vt bona deficiant te nulla, miſerrimus uſum,
Libertate tamen ſi caruêre, capis.

VPVPA.

Eſt Aquilam celebraſſe ſacras quo tempore tædas
Rumor, ad has fœtens ales Vpupa uenit.
Qua cùm non olidos magis altera ſordeat artus,
Conuiuas tumido pectore ſpreuit aues.
Erigit alta ſuam galeæ inſtar imagine criſtam,
Et regale ſuum iactitat eſſe genus.
Non hanc dixit auem par mota Ciconia primas
Ferre, ſuus cui ſic ſtercore nidus olet.

EPIMYTHION.

Nullius ex habitu cenſeri debet honeſtas,
Quam non uita piæ laudis egena parit.

GVLÆ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

GVLÆ DEDITVS.

Deditus eſſe gulæ qui more ſolebat inerti,
Hunc ſibi conuiuam Ruſticus eſſe rogat.
At, quia uilla, uiam quô tẽdit, ab urbe iacebat,
Huic pyra ſyluoſo rure reperta ferunt.
Quæ lotio mingens non humectare ueretur,
Illaq; tollendi digna labore negat.
Riuus erat, tranſire uiæ quem cauſa iubebat,
Auctus aquis qui ſic nocte priore fuit:
Vt manifeſta uetent hâc eſſe pericula greſſum,
Et iubeant feſſos inde referre pedes.
Vnde dolens redit ille, famemq; reportat & irã,
Suaſerit hoc longum ſpes quòd inanis iter.
Et pyra, quæ temerè cõminxerat antè, requirit,
Quæ deterſa ſuo nunc petit ore cibum.
Hanc inteſtinis latrantibus ingerit eſcam,
Qua placare famem uentre uorace parat.

EPIMYTHION.

Has adferre ſuperba ſolent faſtidia pœnas:
Sæpe ſit ut rurſus ſpreta neceſſe peti.

EQVVS ET PORCVS.

Armatum Sonipes generoſus ad acria dorſo
Bella gerens equitem ferre iubetur opem.
Membra luto quem porcus ubi fœdatus euntem
Conſpicit, an ſcis quô te uia ducat? ait.
Non'ne petituro pede feſtinare uideris
Prælia, quæ te non inde redire ſinent?

Huic Equus: heus ignaue mori me laudis in armis,
Concidit à forti ſi mea uita uiro.
At tibi mors etiam properantibus ingruet horis,
Certa breui quæ te, ſed ſine laude petet.
Factus ubi paulò iam corpore pinguior ibis,
Mox lanio uitam te iugulante dabis.

EPIMYTHION.

Non ulli nimium mors debet honeſta timeri,
Nam lex eſt aliàs omnibus una mori.

VENATOR ET CERDO.

Ad Venatorem ueniens ſibi uendat ut urſi
Cerdo rogat precio conueniente cutem.
Cui Venator ait, ſibi non hoc tempore pellem
Eſſe feræ, tamen æs ſi numerare uoles:
Luſtra tenent quam nota, capi curabimus inquit
Vrſam, ne dubites, dum breue tempus abit.
Cui tum Cerdo: capi num ſic ſolet urſa repentè,
Cui ſolet arte, ſequi quam decet, alter ait.
Cerdo ſit huc unà num copia quærit eundi,
Nam ſpectare ſibi rem fore dulce refert.
Eſt, Venator ait, noua lux ubi tertia ſurget,
In nemus hoc mecum, ſi libet, ire potes.
Itur ut ergo, latens ubi creditur urſa morari,
Obuia conſpectis mox ruit illa uiris.
Arboris aſcenſu tum Cerdo cacumina prendit,
Venatore trucem non fugiente feram.

Quæ tamen illæſis quia membris excutit ictus,
Abijcit in terram ſe celer ille metu.
Vrſos audierat uiolare cadauera morſu
Nulla, tenens animam fortius ergo iacet.
Admouet os ori recubantis & auribus aures
Beſtia, numq; negent uiuere ſigna probat.
Sed negat huic animæ quia preſſus anhelitus aurã
Eſſe, uiro profert urſa iacente pedes.
Qui iam mota uidens ceſſare pericula ſurgit,
Se quoq; deſcendens arbore Cerdo refert.
Ille ſuſurrando fera quam dixiſſet in aurem
Rem rogat, hanc ficti conſcius alter ait:
Ne prius ære ſuam conarer uendere pellem,
Quàm mihi uenandi capta labore foret.

EPIMYTHION.

Exultare caue temerarius ante triumphum,
Pro certo dubij nil reputare decet.

LEO ET MVS.

Fama refert laqueo captum petijſſe Leonem
Voce uagabundi ſupplice Muris opem:
Exitium prohibe corroſis flebile plagis,
Et nunquam meriti non memor huius ero.
Mus facili præſtans ratione quod ille requirit,
Flagitat ut generum ſe ſinat eſſe Leo.
Annuat uxorem non duro pectore natam,
Deberi meritis præmia tanta ſuis.

Res indigna quidem uideatur ut illa Leoni,
Exiguo Muri nupta Leæna datur.
Mure Leo ſeruârat enim redimente ſalutem,
Pro factis erat his cui tribuendus honos.
At cùm ſponſa nouo eſt adducta Leæna marito,
Huc pede non uiſum calcat eunte ſuo.

EPIMYTHION.

Errat, amicicias qui quærit, opemq́; potentum,
Tutius eſt humiles conciliare uiros.

CERA.

Ægrè duritiem Laterum quia cera ferebat,
Quos illam rapido uidit ab igne ſequi.
In flammas unà ſeſe abijcit ergo camini,
Indureſcat ut his cocta perinde modis.
At ſecus hoc fieri uidet, ut liqueſacta reſolui,
Conſumiq; ſtatim cœpta calore perit.

EPIMYTHION.

Quam natura negat, fruſtra rē ſtulte quid optas,
Cur facis inſanæ non niſi mentis opus?

AGRICOLA MILITATOR.

Agricolam uitæ iam tædia magna tenebant,
Quæ ſolet eſſe, colunt qui graue ruris opus,
Militiæ parat ergo ſequi pærſentius artem,
Sæpe quòd hæc laudem, ſæpe pararet opes.
Vēdit agros precio, resq́;, eſt quibus aucta ſupellex
Ruſtica, uultq́; geri Mars quibus, arma parat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quoq; ſolent, qui caſtra ſequi conantur, amictu,
Militiæ caſus experiatur, abit.
At quia geſta parum res eſt huic Marte ſecundo,
Dum miſer accepto uulnere penè perit.
Ad mercaturam poſitis ſe contulit armis,
Qua ſubitò quæri poſſe putabat opes.
Hinc, quas magna putat parituras fœnora, merces
Comparat, has naui per mare credit opes.
Sed quaßata fero quæ turbine ſorbuit undas,
Et ſimul hunc medijs obruta merſit aquis.

EPIMYTHION.

Sæpe, ſuam qui non ſortem mutare uerentur,
Quæ fugiunt, duplo deteriora ferunt.

AMNIS.

Amne ſuum fontem ſpernente, quòd ille lateret
Muſcoſis, aliquò neſcius ire, locis.
Et iactante ſuas habitari piſcibus undas,
Quodq; ſibi plenis alueus iret aquis.
Quòdq; ſui dulci ſtriderent murmure riui,
Dum loca gauderent præter amœna uehi
Diuerſasq; plagas & clari nominis urbes,
Fons quibus ipſe tamen poßet egere bonis.
Praua ſui Fons hæc cùm dicta doleret alumni,
Inde ſuo liquidas more negauit aquas.
Sic ceßante ſtatim ſalientis origine riui,
Siccatis ſubitò deficit unda uadis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Qui ſibi, quas aliunde tulit, res arrogat uni,
Ingrati pœnam pectoris ille luit.

CORNICIS CONSILIVM.

Imperio plures auium præponere reges
Turba uolens ſocium congregat omne genus.
Sed diſſuadet idem, fore quæ negat utile, Cornix,
Conſilij cauſam quæ docet eſſe ſui:
Impleri citius dolium quia pluribus unum,
Et ſimul his aliud rebus ineſſe malum.
Vno poſſe negat momento plura notari
Signa, geri ſi quæ bella neceſſe foret.

EPIMYTHION.

Vtilis eſt nunquam multos regnare poteſtas,
Et rem ſæpè grauem rectius unus obit.

PROXIMVS QVISQVE SIBI.

Ægrotaſſe uirum morbis lætalibus aiunt,
Fœmina cui clari nominis uxor erat.
Coniugis hæc adeo cari dolet anxia caſum,
Illius ut cupiat ſe uice poſſe mori.
Oret ut & ſe mors ſaluo petat atra marito,
Quæ quia ploranti ſæpè uocata uenit:
Horribili trepidans uenientis imagine coniunx
Indicat, occidi qui uelit, eſſe uirum.

EPIMYTHION.

Vt doleant alij, cùm te diſcrimina tangunt,
Eſſe tibi melius, quàm ſibi nemo uolet.

Adoleſcens cantans in funere matris.

Fune-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Funeris in ritu matronæ pompa marito,
Et nato feretrum ponè ſequente fuit:
Cantibus uſa ſuis quæ iam lugubribus ibat,
Moris ut aſſueti norma ſequenda tulit.
Filius exemplo quoq; quos imitante canebat,
Inſanire loquens hunc pater unde uetat.
Cui puer: an, quos conduxti ratione canendi,
Non ſequar? hoc decori nam fore rebar, ait.
Cui pater inquit: idem tibi non, quod cõuenit illis;
Hoc lacrymas, aliud gaudia tempus amat,

EPIMYTHION.

Tempore quæq; ſuo res acta, locoq; meretur
Laudem, non aliàs facta placere ſolent.

ASINVS ÆGROTANS.

Ægrotare docens increbreſcebat Aſellum
Fama, nec huic longè mortis abeſſe diem.
Hunc uoluere Canes & uiſere turba Luporum,
Hoc modo prætextu diſsimulante dolum.
Ergo domum, decumbit ubi languore, frequentãt,
Pulſandoq; iubent hîc aperire fores.
Adſumus ægroto (dixêre) leuemus amico,
Colloquijs moti triſte doloris onus.
At quibus eſſe patri hoc per rimam cautus hiantẽ
Nil opus officio paruus Aſellus ait.
Nam meliore ſuum nunc eſſe ſalute parentem,
Hi quàm forte dolo diſsimulante uelint.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Officij qui ſe prætextu fingit amicum,
Hoſte palàm noto peior habendus erit:

MVLIER ET NVX.

Cur adflicta bonam modo Nux ſe præbeat arbos,
Quæſiuiſſe parum fœmina cauta poteſt.
Cui Nux: & te quòd meliorem uerbera reddunt,
Et plagis Aſinum fortius ire ferunt.

EPIMYTHION.

Qui loquitur, quæ uult, quæ nõ uult, audiet idem,
Et feret alternis uerba moleſta modis.

ASINI VOTA.

Frigore cœpit hyems Aſino uiolenta uideri,
Cui modo præbebant pabula ſicca cibum.
Ardenti uoto uernum expetit ergo uirorem,
Temperiemq́; gelu quæ grauiore caret.
Sed labor huic onerũ uernis cùm creſceret horis,
Temporis æſtiui ſtultus amore gemit.
Quo quia portandi pariter frumenta laborem,
Et fructus, horti quos peperêre, dabant:
Flagitat autumnum, quo ſperat eunte quietem,
Sed quia nec uotis ille ferebat opem:
Hyberni redeant mutato tempore ſoles
Optat, in hoc uoti fine quieuit opus.

EPIMYTHION.

Quid fugis, heu uitæ quo ſors eſt plena, laborem,
Siue cadant æſtu tempora, ſiue gelu?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

MVRES ET FELIS.

Viſa cubare diu placidè cùm Muribus eſſet
Felis, & inſidias, non uelut antè, ſequi:
Tunc dixiſſe uagis perhibent de Muribus unum,
Hac animante nihil mitius eſſe puto.
Fœdus amicitiæ tentare quid ergo moramur?
Iſta loquens Felem Mus malè cautus adit.
Blanda loqui quæ conantem mox uerba prehēdit,
Viq; ſtatim miſerum dilaniante necat.
Quo uiſo ſocij quantum, dixêre, fefellit
Hunc ſpecies, diris quæ fuit uſa dolis.

EPIMYTHION.

Diſcere non animi fraudem licet indice uultu,
Moribus externis illa ſepulta latet.

ASINI LAPSVS.

Seruitij longo uires laſſauerat uſu,
Dum tulit aſſuetæ ſortis Aſellus onus.
Qui ſemel ingenti languens ſub faſce cadebat,
Illa malo ſtomachum cauſa mouebat hero.
Mox hunc uerberibus qui uerba ſequētibus urget,
Adq; datum plagis ſurgere cogit onus.
Hæc Aſino magnum ſors mouit iniqua dolorem
Sæuitiam paſſo fuſte prementis heri.
Pro merito qui non par eſſe priore laboret,
Vnius & culpæ puniat ultor opus.

EPIMYTHION.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Non homines, pridem quæ facta, ſed obuia ſpectât,
Immemores meriti noxa uel una facit.

HYSTRIX ET LVPVS.

Hyſtrix, ut perhibent, genus eſſe putatur echini,
Quam ſpinis ualidè munit operta cutis.
Quas habet ingentes & mittere nouit in hoſtem,
Huic cùm uita tegi fraude petita cupit.
Huic Lupus inſidias meditari cœperat aſtu,
Nata monens uanum ſpicula ponat onus.
Nil opus his referens armis in pace uideri,
Quorum, ſi qua uelit cauſa, requirat opem.
At nunc cauta mihi his opus eſt mucronibus Hyſtrix
Ne præſente Lupo cernar inermis, ait.

EPIMYTHION.

Conuenit armari metuendos ſemper in hoſtes,
Inſidijs uires res ea ſæpè negat.

MVS ET MILVIVS.

Implicitum exolui laqueis ſe Miluius orat,
Mure ferente malis his properanter opem.
Cauta parum facit hoc corroſis beſtia plagis,
Hanc quia facta ſtatim libera perdit Auis.

EPIMYTHION.

Hæc natura malis, ut, qui ſe morte redemit,
Autores ſoleant huic necis eſſe ſuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

TESTVDO DOMIGERA.

A Ioue quæq; ſuum peterent animalia donum,
Ardor erat, tribui Cochlea tale petit:
Quô ſibi cunq; uagæ modo ſuadeat ire uoluntas,
Ferre ſuam ſecum poßit ut inde domum.
Cur petat hoc, dixit cauſam quæſita roganti,
Vt poßim, libeat quô celerare, fugam.
Viciniſq; malis me mox auferre morantem,
Si geſtare domum, quô libet ire, licet.

EPIMYTHION.

Improbus eſt patriæ uicinus inutilis urbi,
Grande bonum multis ceu probus eſſe ſolet.

ERINACEVS ET VIPERA.

Exorante, gelu dum bruma ciebat, Echino,
Eſt habitare ſuam Vipera paſſa domum.
Sed ſedes anguſta loco uix accipit ambos,
Hoſpitis hinc ſpinis læditur illa ſui.
Migret ut ergo ſuam ſibi linqnens ille cauernam
Flagitat, haud capiant cùm loca ſtricta duos.
Sed, graue cui mecum ſit degere, dixit Echinus,
Me mutare locum non prohibente poteſt.
Surgit adhuc nobis migrandi nulla uoluntas,
Vipera ſic ſolito de lare pulſa fugit.

EPIMYTHION.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Auerſare, ſuum quorum factura poteſtas
Te uideatur, ab hac qui tibi peſte times.

LEPVS AC VVLPES.

Prætulit ut Leporem ſua fortè ſuperbia Vulpi,
Ille pedum celeri quòd prior eſſet ope:
Huic ait ingenij Vulpes ſe uincere donis,
Cuius opem poſcant plura labore pedum.

EPIMYTHION.

Corporis omne bonum ſollers prudentia uincit,
Vis animi quo plus ingenioſa ualet.

LVPVS.

Pellis ouina Lupum fallace tegebat amictu,
Hac impunè diu perdidit arte greges.
Fraude patente tamen ſuſpendit ab arbore paſtor
Res, qui prætereunt, quid uelit illa, rogant.
Pellis oui fuit illa quidem, ſed tegmine fraudem
Hoc Lupus audebat fingere, Paſtor ait.

EPIMYTHION.

Ex habitu non eſt animi cognoſcere mores,
Et Lupus eſt quondam, qui ſimulabat ouem.

CANIS ET PASTOR.

Cui commiſſa Cani gregis eſt cuſtodia quondã,
Dum uorat occiſam funeris autor ouem:
Paſtor adeſt, ſubitoq; maligno interuenit auſo,
Et, iubet ut noxæ cauſa, necare parat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

At Canis, ánne tuos nil perdere detinet, inquit,
Profuerint uarijs qui tamen antè modis?
Non, huic ille, meos equidem, ſed tale merentes
Supplicij, uiolant dum mea iuſſa, genus.
Quos iuuat externis magis ut mihi furibus obſint
Et quibus in dominum non fuit ulla fides.

EPIMYTHION.

Ne mirêre, trahas ſi læſus ab hoſte dolorem,
Fallit amicorum nos quoq; ſæpe fides.

ARIES ET TAVRVS.

Dux gregis eſt Aries, huic orta ſuperbia mouit,
Cum boue pugnandi ſtultus adiret opus.
At quem uictor humi moribundum penè relinquit
Taurus, & hanc ſerò rem doluiſſe facit.

EPIMYTHION.

Huic certare caue tu, quem non uiribus æquas,
Audendi res eſt exitioſa furor.

ASINVS PVNICEVS.

Fortè Iuuenca diu quæ uixerat orba marito,
Nubere iuſſa recens matre monente fuit.
Quæ ſe ſermones hominum, uiſumq; uereri,
Non aliàs tibi non morigerarer, ait.
At minio ſapiens pingi mox curat Aſellum,
Notus ut hoc fuco neſciat eſſe, parens.
Quem ſpectare frequens primum undiq; turba ru
Res uel prodigij cui uice talis erat. (cebat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sed quæ uiſa fuit rareſcere luce ſequenti,
Et magis, orta dies tertia quando fuit.
Hoc patet exemplo motos aboleſcere uulgo
Rumores, citius quàm fore credis, ait.
Sic, ut coniugij te fama ſecuta ſecundi
Carpat, ab hac ueniam mox reticente feres.

EPIMYTHION.

Quæ non aſſuetis prius admiranda uidentur,
Tempore trita parum mox faciente placent.

AQVILA ET CVNICVLVS.

Experiens Aquilam ſæuire Cuniculus auſis
In ſobolem ſæuis, quam rapit illa, ſuam:
Orat, ut alma ſuis per cœli numina parcat,
Tutelæ miſeris quæ meditentur opem.
At curare Iouem Iouis, an ſe puniat, ales
Viſa parum, flecti matre precante nequit.
Sed necat huic pullos & nidis diuidit eſcam,
Nec, quæ pœna, timet tale ſequatur opus.
Hac adflicta parens immani cæde ſuorum,
Conuocat omne ſui ſanguinis ecce genus.
Quoq; malo ſe ſors præſens exerceat unam,
Quemlibet hoc alium tangere poſſe refert.
Ergo monet ſecum coniunctis uiribus adſint,
Vindictæq; iuuent conuenientis opus.
Omne cauare ſolum mox ſub radicibus inſtent,
Arboris, eſt Aquilæ qua ſuper alta domus.

Vt, dum laxârint ſic facta cubilia terram,
  Arbor ab exorto turbine uerſa ruat.
Conſilio parent omnes, foßiſq; cauernis,
  Inualidè faciunt hæreat arbor humo.
Sternitur inde leui flatu quæ diruta uenti,
  Et pullos Aquilæ lapſa perire facit.
Pars quorum exitio datur hanc experta ruinam,
  Pars perit infeſtis præda relicta feris.
Hac ſolamen ouans re dulce Cuniculus haurit,
  Cui uindicta mali mite leuamen erat.

EPIMYTHION.

Temnere non alios, polles qui uiribus, aude,
  Sæpè ſui uindex & minor eſſe poteſt.

OVIS ET PASTOR.

Cum Paſtore graues Ouis eſt improuida rixas
  Auſa ſequi, ſecum non bene dixit agi.
Quòd preßo ſibi lac emulgeat ubere palmis
  Omne, nec hac potiens parte quieſcat herus:
Sed nudare cutem tondens de corpore lanas
  Audeat, hæc domini uis trucis, inquit, erat.
Primigenam dictis ſuccenſens arripit agnum
  Illius, & cæſo corpore mactat herus.
Hoc Ouis exemplo pœnæ commotior inquit:
  Ergò, quod his addas, nil ſupereſſe poteſt.
Hoc quoq;, Paſtor ait, mihi ſi ſic uenerit uſu,
  Corpus ut expoliem pelle repentè tuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Et fruar ipſe tuæ iucundo carnis ut eſu,
Oſſáq; proijciam dente uoranda canum.
Maiorum perculſa metu ſilet ergo malorum,
Stulticiæ ſerò quam piget huius, Ouis.

EPIMYTHION.

Ne contra ſtimulum calces iactaueris, aiunt,
Stulte quid aduerſo flumine nare paras?

ROTA ET VECTOR.

Cur Auriga Rotæ uiciatæ deficis, inquit,
Stridoremq; meis auribus ægra facis?
Cui Rota: uexat enim me debile robur euntem,
Non igitur poſſum non gemebunda queri.

EPIMYTHION.

Cùm triſti faciunt miſeri de ſorte querelas,
His dare cur ueniam iure uelimus, habent.

VVLPES LEPORIS LAVDATRIX.

A cane penè fugax Vulpes cùm capta fuiſſet,
Inuenit illa nouæ callida fraudis opem.
Vafra Cani laudans Leporinam beſtia carnem
Impulit, ut Leporem cœperit ille ſequi.
At Lepus effugiens celeri pede ponè ſequentem,
Eſſe ream Vulpem proditionis ait.
Cui Vulpes: at enim mihi te laudare neceſſe
Nunc erat, hæc uitæ techna ferebat opem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Non laudes prodeſſe ſolent, ſed abeſſe malorum,
  Quos alijs omni parte nocere iuuat.

VVLPES ET LEPVS.

Sollicitare Iouem Vulpes prece futilis audet,
  Augeat ut celerem uim ſibi ſponte pedum.
Cùm ſe calliditas omni ſic inſtruat aſtu,
  Poßit ut hanc adeo beſtia nulla ſequi.
At Lepus arguto donari pectore poſcit,
  Cùm celer illa ſequi nouerit antè fugam.
Tunc, ſua cuiq; parens animali, Iupiter inquit,
  Omnia non uni, ſed tamen æqua dedi.
Quemq; decere bonis contentum talibus uti,
  Adfectare ſuis nec meliora refert.

EPIMYTHION.

Non uni confert Deus omnia dona, nec aufert,
  Ille bonis animi, corporis ille ualet.

EQVVS INORNATVS.

Ad certamen Equi uincendi curſibus ibant,
  Qui phaleris comti pulcrius agmen erant.
Conſpicuis omnes, niſi egente coloribus uno,
  Ornamenta decus cui noua nulla dabant.
Huic, quibus aßiduum ornari conſuêrat ad uſum,
  Frena, nec, ut reliquis, pulcra dabantur Equo.
At domini cùm iam certamen inire iuberent,
  Qui caret ornatu diuite, uictor abit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Ex habitu ne uirtutem metire ſuperbo,
Sub uili ſapiens tegmine ſæpe latet.

VOX HOEDI.

Paupere re qui fortè Cliens erat, ore patroni
Sæpè repulſus, opem cùm petijſſet, erat.
Namq; uacare ſibi miſero ueniente negabat
Ille, nec admitti dura repulſa tulit.
Ergo uiam quærens tenerū adfert callidus hœdū,
Vellicat hunc, ut ſe prodat adeſſe, Cliens.
Tum famulis quis adeſt hominum dicente patro-
Ianua pulſanti mox adaperta fuit. (no,
Auditoq;, pati quem ſit miſerabile, caſu,
Conſilij mox hoc dante ſecutus opem eſt.

EPIMYTHION.

Re tibi conciliant magis omni dona fauorem,
Gratia magna dato munere gaudet emi.

SENEX ET ADOLESCENS.

Carpenti puero fructus ex arbore furtim,
Non, ait, inuadas ſic aliena, Senex.
Quem puer indignis deridet ab arbore uerbis,
Cœpit & has ueluti, carpere pergit opes.
Huic pollere ſenex ego uiribus acribus herbas
Audieram, quibus es prædo domandus, ait.
Illa minatus humo mox cœpit uellere plantas,
Quas, ualet in puerum qua ratione, iacit.

Pœna ſed illa parum quia terret in arbore furem,
Vim ualidam lapides nôrat habere Senex.
His parat audaces pueri ille domare rapinas,
Deſinat hoc pacto carpere poma facit.

EPIMYTHION.

Antè, ſequi ſapiens uir rem quàm nititur armis,
Omnia conſilijs experiatur, agit.

LVSCINIA.

Accipitrem, à quo capta timet Luſcinia mortem,
Seq́; impunè gemens orat, abire ſinat.
Nec gratis facies, me ſi dimiſeris, inquit,
Rem precio dignam me tribuente feres.
Quam, prædator ait? Philomela: canoribus aures
Muſica mulcebunt dulcibus ora ſuis.
At mihi non aures, ſed uentrem implere uoluptas,
Ales auem cupiens perdere raptor ait.

EPIMYTHION.

Sæpè bonas alijs rude poſthabet uſibus artes
Vulgus, & haud dignis curat honeſta modis.

CVLEX ET APES.

Orat Apes urgente Culex iam frigore brumæ,
In ſua ſe recipi cerea tecta ſinant.
Seq́; ferant impunè frui communibus eſcis,
Gratia uos merito digna ſequetur ait.
Namq; docens ueſtros natos ego dulce canendi
Officioſus ero ritè magiſter opus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Huic Apis una: tuam ſoboles non expetit artem
Noſtra, ſalutarem quæ magis antè tenet.

EPIMYTHION.

Artibus inſtitui teneros eſt utile natos,
Quærendi uictum qua ratione ualent.

LEO, ASINVS, LEPVS.

Bella ſubire Leo uolucrum cum gente uolebat,
Ducta recenſeri cœpit ut ergo cohors:
Quas Aſino, Leporiq; uices decerneret Vrſo
Inquirente, Leo, quid dubitamus? ait.
Hic loca ferre poteſt nobis ad iuſſa tabellas,
Ille ſuo tubicen munere functus erit.

EPIMYTHION.

Non humiles adeo quisquam circumgerit artus,
Vtilis ut nullo poßit is eſſe modo.

ACCIPITRVM PAX.

Accipitres magnis inimicos bella fatigant
Dißidijs, rem pars utraq; ſæua gerit.
Simplicis ingenij quos conciliare Columbas
Conatas iterum pace loquuntur aues.
Quæ firmata nouo mox eſt ubi fœdere, uexant
Autores initæ pacis inerme genus.
Nec premit inſontes modò ſæua rapina Columbas,
Sed reliquas etiam cæde fatigat aues.

EPIMYTHION.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sæpè malos uerſans diſcordia lite ſalutem
Ferre bonis, pax his nam uenit inde, ſolet.

DE MORTIS NVNCIIS.

Reginæ cùm Mors Alceſtidos eſſet ad urnam
Herculeæ quondam robore uicta manus:
Cùmq; iaceret anhela, nec ægra dolore careret,
Illius eſt quidam mente miſertus homo.
Nomine quem patriæ gentes dixêre Pheræum,
Præterit ille, iacet Mors ubi fuſa, locum.
Qui facit amiſſas abeunte reſumere uires,
Hanc languore, uolens dum recreare fouet.
Se meriti memorem Mors uitæ reddita ſpondet,
Et ſi non potero parcere prorſus ait:
Non tamen antè, niſi mittam monitura miniſtros,
Lumine uitali te ſpoliare uelim.
Illa uacare metu faciunt promiſſa Pheræum,
Mors tamen antè ferox, quàm ratus ipſe, uenit.
Vnde ſibi fraudem fieri ſerit ore querelas,
Non monitum ſe, ceu debuit, antè refert.
Cui Mors, ánne frequens à me non nuncius, inquit
Venit, an hoc factum ſæpius eſſe negas?
Ante nocens an ſex te non exercuit annos
Febris, & arentem torſit anhela ſitis?
Ante duos annos non deinde ſecuta grauedo eſt,
Quæ uexante caput mota dolore fuit?
Intereàq; graui tuſsi ægrotaſſe negabis,
Aut alijs preſſum te gemuiſſe malis?

Quin,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quin, ſibi germanum qui me ſcit ſanguine fratrẽ,
Preßit iners paulò, quàm cadis, antè ſopor.
Miſimus hæc de uenturo tibi nuncia leto,
Hæc propè quod ferri ſigna monentis erant.
Hac probat illa fidem ratione, neciq́; Pheræum,
Nec lacrymis miſerum, nec prece mota dedit.

EPIMYTHION.

Morborum indicijs homines de morte moneri
Conuenit, hanc nimium nec trepidare decet.

VVLPES ET HIRCVS.

Cùm ſocio Vulpes Hirco putei inſilit undas,
Ardentem cupiunt fontè leuare ſitim.
Quam cùm ſedaſſent aqueis humoribus ambo,
Anxius, hìc morti claudimur, Hircus ait.
Pone metum, Vulpes cui dixit, & utere mecum
Conſilio, nobis quo meditabor opem.
Poſteriore tuum pede nitens erige corpus,
Anterior putei tangat uterq; latus:
Sic caput altus, ut obliquent ſe cornua, tollas,
Vt ceu ſcala mihi dent tua terga uiam.
Cornibus exiliam ſic ut ſublatus ab undis,
Teq́; ſtatim prenſis his ſimul inde traham.
Credulus huic operam cœpto non denegat Hir-
Qua putei Vulpes ocyus exit aquis. (cus,
Fontis ibi circum fauces exultat, & Hircum
Deridere datam decipit auſa fidem.

Quamq; requirenti non inſultare ueretur,
  Indignis miſerum paſſa perire modis.
Si quàm barba tibi promiſſa ſit Hirce, fuiſſes
  Tam ſapiens, non nunc ſic querereris ait.
Non explorato reditu, ni perdere uelles,
  Te temerè cui res credere ſtulta fuit.

EPIMYTHION.

Antè, ſequi ſapiens rem quàm ſolet, omnia ſecum
  Iudicat, & ceu ſint illa futura, uidet.

GALLINÆ ET PERDIX.

Gallinas ſtudium quem fortè iuuabat alendi,
  Miſſa ſemel perdix huic aliunde fuit.
Illarum numero facit augeat addita cortem,
  Eſt ſocijs odio quæ tamen hoſpes auis.
Morſibus infeſtant miſeram inclementius omnes,
  Res ea cui magni cauſa doloris erat.
Quæ rata uexari ſeſe eſt, aliena quòd eſſet,
  Inuidiæ cauſam credidit inde dari.
  breui ſed pòſt quia ſe conſcindere roſtris
  Has uidet, alternas uicq; ſequente uices.
Tum ſolata ſuam ſortem, ſi mutuus, inquit,
  Has furor armat, idem cur mihi ferre dolor?

EPIMYTHION.

Prudenti minuunt communia damna dolorem,
  Eſt alios eadem dulce uidere pati.

GLORI=

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

GLORIATOR.

Cùm patriæ quidam poſt longa reuerſus in orbem
Tempora, quæ peregrè degerat ille, foret.
Iactabunda ſuis de factis uerba ſonabat
Oſtentator, & hoc more moleſtus erat.
Ille Rhodo partum ſibi narrat in urbe trophæū
Saltandi, nemo quale tuliſſe poteſt.
Tunc, ſi uera refers, quæ uox tua prædicat, inquit
Vnus, & hic ſpecimen ne uereare ſequi.
Eſſe Rhodum hoc quin crede loco, ſaltuq; probari
Incipe, quem uerbis, ut uideare, tonas.

EPIMYTHION.

Ventoſis ſtolidè iactare uerebere uerbis,
Quæ præſtare tui roboris eſſe nequit.

TENTATOR APOLLINIS.

Callidus & pietate carens imponere Phœbo
Dum cupit, hanc ad rem fraude paratus adeſt.
Nempe Dei ſacram ſollers impoſtor ad ædem
Tendit, & inſidias hac parat arte ſequi:
Docta ſecuturas ſortes aperire ſacerdos
Vatidicæ fungens munere uatis erat.
Ante ſacram cui ſtans cortinam conijce dixit,
Viuit id, an moritur, quod mea dextra tenet?
Namq; tenebat auem, paſſerculus illa uocatur,
Hac reſponſa Dei fallere fraude parat.
Numinis inſtinctu ſed ſic effata ſacerdos,
Quod tua celando nunc manus una tenet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Viuit, idemq́; poteſt mox te cupiente necari,
Arbitrium facti te penes huius erit.

EPIMYTHION.

Fallere non homines cœleſtia numina poſſunt,
Virq́; capi ſapiens non bene fraude poteſt.

MVLIER ET GALLINA.

Fœmina rebus egens uiuebat, & orba marito,
Huic Gallina, frequens quæ pariebat, erat.
Quam tunc oua die parituram plura putabat,
Cura ſaginandi ſedula ſi qua foret.
Pinguis ubi largo paſtu ſed facta ciborum eſt,
Corpore iam ſterili non magis oua parit.

EPIMYTHION.

Qui præſente ſtatu quondam meliora requirũt,
Perdere res etiam, quas peperêre, ſolent.

VVLNERATVS A CANE.

Quæreret ut medicam, procul à Cane ſaucius ibat,
Obuius, huic notum quem uidet eſſe, uenit.
Qui cognouit ubi rem, uulneris obline panem
Sanguine, dansq́; Cani ſic pete, dixit, opem.
Cui tum læſus ait: ſi tu quod conſulis, auſim,
In me pellicerem uel genus omne Canum.

EPIMYTHION.

Non ullis praui meritis miteſcere nôrunt,
Eſſe ſed hinc animo deteriore ſolent.

THVNNVS ET DELPHINVS.

Ponè minante necem Delphino, uitet ut hoſtem
  Thunnus, arat uitreas ui celerante uias.
Hinc cum Delphino maris eijcit impetus illum
  In terram, res hæc cogit utrunq; mori.
Thunnus ibi cernens Delphini occumbere uitam,
  Triſte mori nobis nunc minus, inquit, erit.
Dum necis autorem ſimul illa pericula perdunt,
  Hic mihi uindictæ pars quota caſus erit.

EPIMYTHION.

Tum uel quisq; ſolet patientior eſſe malorum,
  Autores etiam ſi uidet illa pati.

FIBER.

Quadrupedem ſub aquis alterno uiuere Fibrum
  More, uel in terris credita fama refert.
Cuius opem uario præſtant medicantibus uſum
  Teſticuli, crebrò dicitur inde capi.
Venari quoties hinc uis humana laborat,
  Præmordere ſuo dente pudenda ſolet.
Proijcit inſidias quæ ponè ſtruentibus ultrò,
  Hæc iactura frui ſæpè ſalute facit.

EPIMYTHION.

Prudentes redimant ut triſti à laude ſalutem,
  Hi nil naufragio ſæpè mouentur opum.

DIVINATOR.

Diuinator opem dum ferre rogantibus optat,
  Inq; foro medio tale miniſtrat opus:

Nuncius huic ueniens greſſu properante recẽſet,
  Illius ereptis tecta patere bonis.
Hinc ſurrexit, iter curſuq; tetendit ad ædes,
  Acclerante uiam quo procul unus ait:
Venturas alias res heus cum dicere nôris,
  Non curare tuas deſipientis erat.

EPIMYTHION.

Qui prodeſſe parũ, quo debent nomine, poſſunt,
  Hos curare tamen nil aliena pudet.

ÆGROTVS ET MEDICVS.

Quærit ab ægroto medicandi nomine Doctor,
  Nox prior huic quanam lege peracta foret.
Cui ſudaſſe refert magno ſe corporis æſtu
  Ille: bonam Medici uox ait eſſe notam.
Altera languenti lux ſe ſimul orta reducit,
  Hic horrore graui ſe riguiſſe docet.
Tunc Medicum dixſſe: bono non omine cauſam
  Huius & indicij poſſe carere, ferunt.
Tertia noctis ubi tenebras aurora fugârat,
  Officij Medicum cura redire iubet.
Tunc uidet adfligi languentem intercute morbo,
  Quod quoq; felicem dixit habere notam.
Sed quo mox quidam hunc abeunte frequẽtat ami(cus,
  Ille, loco nunc rem quo putet eſſe, rogat.
Huic Ægrotus, habent bene ſe nunc omnia, dixit,
  Namq; boni me nunc copia magna necat.

EPIMYTHION.

Non alijs homines ſic ſuccenſere ſolemus,
Vt, qui blandiloqui dicere falſa ſolent.

AVCEPS ET CASSITA.

Inſidians auibus laqueos diſponit ut Auceps,
Hìc caßita, uidens quid gereretur, adeſt.
Quid ſtruat hæc hominem rogat, urbem condim
Ille, ſub arboreis frondibus inde latet. (in
Ergo uidere nouam cupiens Auis aduolat urbem
Quæ laqueo ſubitò capta tenente fuit.
Aucupe quæ ueniente, nouas ſi ſic ſtruis urbes,
Non hac lege frequens incola, dixit, erit.

EPIMYTHION.

Non habitare licet patrias feliciter urbes,
His impunè ducum quando rapina nocet.

VIATOR.

Longa Viatorem uia cùm laſſaret eundo,
Mercurio uoti ſim reus huius, ait:
Quod mihi cunq; repertori ſors offeret ultrò,
Dimidium ratio diuidat æqua Deo.
Cumq; repertus amygdalinis huic ſacculus eſſet
Fructibus huic cœpit nucleus inde peti,
Teſta reſeruari, ſolam quam ponit in aras
Numinis, & uoti ſoluimus inquit opus.
Intimaq; inuentis de rebus, & extima promo,
Cui dare polliciti nos ſumus illa, Deo.

EPIMYTHION.

Sunt, amor uſq; adeo quos uexat auarus habendi,
Commoda plus curent ut ſua ſæpè Deo.

PVER ET MATER.

Fortè ſcholam puer, eſt ætas cui prima, frequẽtat,
Militiæ Tyro qui tener huius erat.
Qui ſocijs dum non obſeruant, fraude tabellas
Surripit, his ſpolijs ſæpè potitus abit.
Delectata parens his dicitur impia furtis,
Caſtigantis erat nec ſemel uſa minis.
Sic puer, in paruis quas exercere rapinas
Cœperat, in magnis grandior inde ſolet.
At ſemel euentu ſe prodidit indice furem,
De cruce ſuſpendi iuſſus ut ergo fuit:
Dum miſer ad pœnæ tormenta minantia mortem
Ducitur, & profert matre ſequente pedem:
Hanc lacrymis, luctuq; notans urgere dolorem,
Detur ut affandi copia parua rogat.
Carnificem facili quàm mente dediſſe loquuntur,
Velle loqui præ ſe clàm uafer ergo tulit.
Applicat os ſic fraude ſuum dum matris ad aurem
Mordicus arripiens uindice dente ſecat.
Huic quoniam non ſola parens iraſcitur auſo,
Omnis ad hunc tendens ſed quoq; turba locũ:
Ille ſui cauſam facti manifeſtat & inquit,
Matris id ultorem me profitetur opus.
Quam queror autorem mihi funeris eſſe nefandi,
Quo tormenta miſer cogor acerba pati.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Nam ſibi ſi ſolitum pueriles ferre tabellas
Me uetuiſſet, ad hanc non darer ipſe crucem.

EPIMYTHION.

Conniuent faciles dum quondã ad parua parẽtes,
Hæc uicijs natos creſcere cauſa facit.

PASTOR ET MARE.

Ad Mare paſcit oues, nulloq; tumeſcere fluctu
Cernit aquas, cuſtos qui gregis huius erat.
Æquoris illa quies ſpeculandi mouit amorem,
Carpendi uitreas per freta naue, uias.
Vt mercaturam profitendi exerceat artes,
Atq; emtas uario fœnore mutet opes.
Vendit oues, aliasq; domi quas arcta ſupellex
Res habet, argenti cogere uimq; parat.
Ære nouos palmæ fœtus hoc arboris emit,
Et ſe nauigio credidit uſus aquis.
Sed, dum uela uolant, uis ſæua repentè procellis,
Exonerare ratem mercibus orta iubet.
Illa ſinunt uacuam uix ire pericula nauem
Ad tutum dubij remigis arte locum.
Poſt paucos maris inde dies reſidebat ad undas
Naufragus, amiſſas iamq; dolebat opes.
Præterit illa freto loca quidam iuncta uiator,
Et miratur aquis tanta ſit unde quies.
Antè graui paulò motas quia turbine nôrat,
Cui notus aſtanti nauta Paſtor ait:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Rem ſcio quam placidi maris illa ſilentia quærant
Pluribus ut ſaturem fructibus huius aquam.

EPIMYTHION.

Maior ab aduerſis ſapientia caſibus exit,
Et mala ſæpe magis, quàm nocuêre, docent.

LVSCINIA ET ACCIPITER.

Fortè laborantem Philomelam more canendi,
Accipiter prædam ſæua petiuit auis.
Impendere uidens ergo Luſcinia mortem,
Orat ut inſontem non iugulare uelit.
Huic auidam ſaturare gulam quia poſſe negabat,
Quæ ſibi tam tenui corpore membra forent.
Ergo genus uolucrum uenari grande laboret,
Carne darent illi quæ meliore cibum.
Prædo ſed ales ait: pro certis uana requiram,
Efficies? res hæc deſipientis erat.

EPIMYTHION.

Qui ſapit, ille bonis ſperandis obuia præfert,
Spes quia maiorum fallere ſæpè ſolet.

VVLPECVLÆ.

De laqueo caudam Vulpes elapſa reliquit,
Hac ea parte necem beſtia trunca fugit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Attulit hæc illi nimium iactura pudorem,
Perſuadere uolens omnibus ergo monet:
Vt ſibi truncari caudas patiantur & ipſæ,
Poſſe ſuum uicium qua putat arte tegi.
Cum multis commune ſibi ſi dedecus eſſet,
Tam miſerè ſocios ſortis habere iuuat.
Cur onus, inquit, enim geſtamus inutile caudas,
Quoq; fatigari corpora noſtra ſolent?
Hæ quia quem præſtant cenſere uolentibus uſum,
Nî iuuet his tractis uerrere pone ſolum?
Huic ait una: fores meáne hoc matercula nobis
Nunc ſuaſura, nihil ſi tibi proſit idem?

EPIMYTHION.

Conſilijs parêre caue, ſi dantur, ut obſint
Hæc tibi, ſintq; alijs utilitatis opus.

VVLPES ET CROCODILVS.

Eſt monſtri ſpecie Crocodilus & horrida uiſu
Beſtia, cui rugis ſquamea terga rigent.
Deformeſq; refert uaſti quæ corporis artus,
Degere Niliacis dicitur illa plagis.
Quæ, Vulpeſq; ſuæ de ſtirpis origine certant,
Clarius eſſet utri nobilitate genus.
At iactante ſuæ Crocodilo gentis honorem,
Reſq;, refert à ſe quas potuiſſe geri:
Non opus eſt Vulpes his uti laudibus inquit,
Scilicet hæc per ſe pelle docente patent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Iudice mendaces nullo res ipſa refutat,
Non alio ueri teſte latentis eget.

VVLPES ET LIGNATOR.

Turba Canum longo curſu quam ponè fatigat,
Ad paruam Vulpes ſic uenit acta caſam.
Cernit ubi cuneis nodoſam findere quercum
Agricolam, ſupplex illius orat opem.
Quem rogat antra fugæ ſibi monſtret idonea fur-
Se grege celet ubi pertereunte Canum. (tim
Ille preces ultrò miſereſcens ſupplicis audit,
Et iubet, auſus opem ferre, ſubire domum.
Hîc tutam fore credit, ubi tamen eſſe nocentem
Cogitat, indignam quam tegat, eſſe putat.
Non tamen orantem trepidè loca tuta latendi,
Prodere uoce palàm debitor audet opis.
Venatore feram uidiſſe rogante negabat
Ore, manu monſtrans, qua latet illa, caſam.
Quo quia Venator non accipit indice ſignum,
Dum notat aure uiri uerba loquentis, abit.
Hoc uidet, imq; ſalutato fugit hoſpite Vulpes,
Ille quid ingrato pectore clamat, abis?
Non'ne meo uitam conatu peßima ſeruas,
Gratia pro meritis talibus ecqua redit?
Tunc Vulpes: agerem dignas hoc nomine grates,
Nî tua uidiſſem quid foret auſa manus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quòd mea ſi qua doli tibi conſcie uerba requiris,
 Vt bene ſit linguæ iurè precamur, ait.
Præcidiq; manus, effoſſos luminis orbes,
 Tu quibus audebas proditor eſſe, uelim.

EPIMYTHION.

Sunt, quorum ſimulant operam te uerba iuuandi,
 Re tamen, ut credas uelle iuuare, nocent.

HOMO ET STATVA.

Neſcio cui Diuûm ſacratam more colebat
 Aßiduo Statuam relligioſus homo.
Sæpè ſolens illam ſertis redimere roſarum,
 Ædibus in proprijs huic ea forſan erat.
Et ſe diuitijs cumularet ut illa, rogabat,
 At nihil augeri qui ſibi ſenſit opes.
Quin bona parta ſibi minui, non creſcere uidit,
 Illius hanc ægrè rem nimis ira tulit.
Qua caput illidi Statuæ ſemel auſpice ſaxis
 Cœpit, & hoc aurum diſsiliente dari.
Vana ſuperſtitio quod in illo abſconderat olim,
 Hoc hilari cernens mente repertor ait:
Teſte ſubeſt re Diue tibi peruerſa uoluntas,
 Hæc uerum ratio quod manifeſta probat:
Me uenerante tuum numen quod clauſeris aures,
 Affligente bonum non mihi grande neges.

EPIMYTHION.

Nulla poteſt prauis reuerentia flectere mentes,
 Nec, niſi ui cogas, cedere ſponte ſolent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

CANIS ET COCVS.

Cœpta domo quadam conuiuia magna parari,
Ad ſolitum genij deliciantis opus:
Orbe ſatum externo Canis unde domeſticus orat,
Hoſpes ut hoc feſtum uiſat herile, Canem.
Et ſecum lætis epulans indulgeat horis,
Hæc ſit amiciciæ cauſa recentis, ait.
Vt nouus ergo ſubit iuſſam conuiua culinam,
Quod facit ad luxum, cernit abeſſe nihil.
Leticiæ ſenſu magnæ tam concitus inquit:
Quas mihi lauticias lux hodierna dabit?
Hæc ſibi promittens fallaci gaudia uoto,
Se parat aſſentans inſinuare coco.
Qui ſed ut ignoto non fidens arripit illum,
Præcipitemq; foras, qua datur, ire facit.
Quo facto Canis hunc rogat obuius alter eundē,
Dignáne conuiuam cœna ſecuta foret?
Cui, tam potus eram, reſpondet, ut unde relicto
Exierim, res ſit non mihi nota, coco.

EPIMYTHION.

Crede parū, bona qui promittere largiter audent,
Se quorum dominos non tamen eſſe tenent.

RVSTICVS ET FILII ILLIVS.

Ruſticus emeritæ iam uitæ penè relinquat
Quas natis, modicas pauper habebat opes,
Ad uigilem quarè culturam inuitat agrorum,
Vultq; ſit aſſidui tale laboris opus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Ecce meo nati de ſanguine cernitis, inquit,
Quo mea ſit fatis res ita uiſa loco.
Quæ potui fido comparſi pectore uobis,
Vinea, quas habeo, noſtra recondit opes.
Parua ſenex uitæ poſt tempora finijt horas,
Vinea tunc natis cœpta ligone fodi.
Dona quod arguerent precioſa latere metalli,
Hîc quæ fortè parens occuluiſſet humo.
Theſaurum cupidis ſed uinea culta negauit,
Præbuit illa tamen fertile foſſa ſolum.
Hæc cultura dabat quia uitibus alma uigorem,
Vt parerent fructus uberioris opes.

EPIMYTHION.

Quærere diuitias, eſt exercere labores,
Pro quibus ipſe ſolet reddere lucra Deus.

PISCATOR.

Piſcibus inſidians quidam tibicen ad undas,
Fallat ut hac illos conditione, uenit.
Et parat exiliant inſano cogere cantu,
Spe ſed retis opem decipiente petit.
Immittens quod aquis magno capit agmine piſces,
Expoſitos luſum quos ſimulare uidet.
Hinc ait: eſt uobis quæ nunc ſaltare uoluptas,
Cur eadem me non mota canente fuit?

EPIMYTHION.

Sæpè

Sæpè loco quæ non apto, ſeu tempore fiunt,
  Quam præſtant aliàs, gratia rebus abeſt.

PISCATORES.

Cùm Piſcatores operam ſequerentur inanem,
  Nilq; labore diu poſſet et arte capi.
Cœpta relinquentes ſtudio pereunte, parabant
  Solliciti triſti ſorte redire domum:
Actus ibi à reliquis ſe piſcibus inijcit horum
  Nauigio ſaliens Thunnus ab amnis aquis.
Erigit accepto noua quo fiducia mentes,
  Hac læti repetunt ſpe comitante lares.

EPIMYTHION.

Sæpè uidemus idem caſu contingere nobis,
  Quod licet acquiri nullius artis ope.

VOTVM, QVOD SOLVI NON POSSET.

Pauper opem incipiens iam deſperare medendi
  In morbo, querulo Dijs facit ore preces:
Spontè ſibi redimant illi à diſcrimine uitam,
  Veſtra feret centum (dixerat) ara boues.
Accipit hunc coniunx rem, quoq; parau eris, inqt,
  Pauper opum demens ære marite boues?
Ille: putas quem uelle Deûm deſcendere cœlo,
  Poſcere polliciti meq; ualente fidem?

NARRATVR EADEM ET HOC MODO.

Nauis aquam quatiente noto maris una uehebat
    Complures, dubij quiq; ſalutis erant:
Vnus opem quorum humanam deſperat & artem,
    Præq; poteſt nimio penè ſtupore mori.
A Dijs ergo premi uim turbinis anxius orat,
    Milleq; pro uitæ uota ſalute facit.
Cerea fax uobis quoq; tanta ſacrabitur, inquit,
    Nauis ut hæc malo non minor eſſe queat.
Hæc promiſſa ſedens temeraria proximus audit,
    Qui, quàm mendicas, nôrat, haberet opes.
Quæ rogat ergo ſit huic tanti fiducia uoti,
    Soluere quod ualdè diuitis eſſet opus.
Qui reſpondet: aquæ modo mota pericula ceſſent,
    Iamq; diu uoti non reus huius ero.
Namq; mihi faciles nummo tunc emta uel uno,
    Propitios poterit reddere cera Deos.

EPIMYTHION.

Sunt faciles multi promiſsis, nilq; uerentur
    Res ſpondere, tamen quas ſibi deeſſe tenent.

PISCATORES.

Læta grauem piſcatores de flumine naſſam
    Turba trahunt, piſces hoc onus eſſe putant.
Sed geſtire facit nimium quos uana uoluptas,
    Hæc in mœſticiam ſpes quia uerſa perit.
In terram lapides quia naſſa reducta miniſtrat,
    Hi graue cauſabant ponderis huius onus.
Seſe in mœſticiam quo uiſo gaudia mutant,
    Et comitatur iners damna dolenda pudor.

Vana quòd hoc mentes uexaſſet opinio caſu,
Ludere fortunam quo uoluiſſe uident.
Tum ſocijs ait, eſt ſua cui uenerabilis ætas,
Hoc nimis euentu pectora ueſtra dolent.
Triſticiæ quoniam comes eſt alterna uoluptas,
Qua mutante uicem protinus illa redit.
Qui nimium gaudent gaudendi fine laborant,
Triſtia nam lætis eſſe propinqua ſolent.

EPIMYTHION.

Ne lætare, probata niſi fortuna ſit uſu,
Nec triſtare, tibi ſi malè uota cadunt.

DE SENE ET MORTE.

Ligna ſecans ligat inde ſenex ſibi uimine faſcem,
Quem ſubit, aſportans pergat ut ire domum.
Iamq; uiæ magnam partem ſuperârat eundo,
Viribus haud æquum ponere cœpit onus.
Et damnare ſenectutem, uitæq; labores,
Et querulo Mortem clarius ore uocat.
Liberet illa malis his, quæ ſimul ergo propinquat,
Pœnitet hoc uoti mox ueniente Senem.
Cui quid adeſſe uelit pede ſe properante roganti,
Penè timore Senex exanimatus, ait:
Non ego te, ſed qui leuet hæc mihi ligna: uocaui,
Rurſus ut hoc ſubeant membra gerentis onus.

EPIMYTHION.

Non miſer eſt adeo quiſquam, quin omnia malit,
Quàm mortem, liceat dum ſupereſſe, pati,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

DE ANV LABORANTE EX OCVLIS.

Ex oculis Anus eſt magnum quæ paſſa dolorem,
  Hæc mercede fuit pacta medentis opem.
Vt non antè, mali quàm uim medicina domaret,
  Acciperet precium dante profeßor Anu.
Orſus opem qui curandi collyria lippis
  Dans oculis uetulæ more frequente redit.
Et quoties abit inde manu furace quid aufert,
  Quod non in tenebris iuſſa ſedere uidet.
Nunc hanc, nunc aliam, quam non negat ampla ſupellex
  Rem, fuit apta rapi quæ ſibi uiſa, tulit.
At redeunte notans ſpoliari fœmina uiſu,
  Non quibus antè bonis nôrat egere, domum.
Promiſſam Medico mercedem fortè petenti,
  Eſſe quòd hanc ſanam diceret ille, negat.
Sanatam manifeſta negant me ſigna, uidebam
  Res prius uſa tua nil quia dixit ope,
Quarum, ceu perhibes ſolitam uim nacta uidendi,
  Conſpicio nil, cur ergo ualere refers?

EPIMYTHION.

Vt ueteratores alijs imponere nôrint,
  Sæpius his proprij damna dedêre doli.

INIMICI.

Se duo uexabant odijs hoſtilibus olim,
  Per maris his pariter contigit ire uias.

Huic

Huic pars prima uagæ ratis,huic dabat ultima ſe-
Sæuaq́; tempeſtas imbribus orta fuit. (dem,
Hinc quia iam uitæ deſperat uterq; ſalutem,
Is,qui parte ſedet poſteriore, rogat:
Anne putet proram citius,puppimue magiſter
Mergi,prora poteſt, nauta rogatus ait.
Tunc ait ille: iuuat pereuntem hæc ergo uoluptas,
Quòd uideam, qui me luſerit, antè mori.

EPIMYTHION.

Sunt,mala penè nihil forti qui pectore curant,
Si uideant hoſtes illa priora pati.

FELIS ET MVRES.

Fama frequente refert ſolitos grege degere Mu-
In quadam,domini quam tenuêre,domo. (res
Edocet hoc rumore uagam res credita Felem,
Ergo ſub hæc celerem tecta tulêre pedes,
Cœpit ubi incautos uenatrix prendere Mures
Et mactare,feram paſcat ut inde gulam.
Sed minui quia cæde notant animalia turbam,
Inde cauis ſtatuunt cauta latere locis.
Non uelut antè uidens ergo procurrere Mures,
Felis opem miræ callida fraudis obit.
Mortua de clauo quia uult ſuſpenſa uideri,
Hoc reuocaturam ſe putat eſſe dolo.
Sed uidet hāc collo,ceu pēdeat,unus & inquit,
Saccus ut hoc fato facta uolente fores:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Ipſe modis ullis tamen hoc committere nolim,
Vt pede fallacem te propiore petam.

EPIMYTHION.

Non ſibi prudentes prauorum imponere fraudē,
Quam ſemel experti fortè fuēre, ſinunt.

MVLVS.

Reddiderant pinguē data quē ſatis hordea Mulū,
Ad leue currendi iam pede fertur opus.
Et facit egregiam ſibi ſtirpis origine matrem,
Qua ualeo curſu non minus, inquit, equam.
At ſemel urgerent cùm mota pericula curſum,
Mortis anhelantem dum fuga magna quatit:
Patre recordari genitum ſe cœpit Aſello,
Vnde grauis ſequitur facta priore pudor.

EPIMYTHION.

Ex humili qui ſtirpe ſequens emergis honores,
Ante oculos patrium pone ſubinde genus.

LEO PROCVS.

Virginis ingenti, quam uidit, amore Leonem
Exarſiße proci more repentè ferunt.
Tradat ut uxorem natam, rogat ergo parentem,
Se fore promittens, quem uelit illa, uirum.
Tum pater inquit ego his committere dētibus au(ſim,
Tam tenerāq; feris unguibus anne tuis?
His modo ſi poſſes impunè carere, uiderer
Te genero felix quàm ſocer eſſe mihi?

Vnde

Vnde ſibi dentes effringi paſſus & ungues
Præcidi ſtolidus dicitur eſſe Leo.
Quo facto mox uicit homo necis autor inermem,
Sic perit inſani cordis amore Leo.

EPIMYTHION.

Sæpe uiros fortes furor eneruauit amorum,
Exitij fierent ut ſibi cauſa ſui.

GALLI GALLINACEI.

Bella duos olim uexant acerrima Gallos,
Æmula Gallinæ quæ facit ira gerant.
Dum uehemens ictu roſtrorum ſauciat ambos
Pugna, fugæq; minor robore terga dedit.
Qui quæſiuit ubi ſuadente pudore latebras,
Alta ſuperuolitans culmina uictor ouat.
Et qua uoce poteſt ingenti clangit & alis,
Hunc Aquilæ raptum mox tamen eſſe ferunt.
Hac impunè latens redit, & procul hoſte remoto
Gallinas recipit lege maritus aues.

EPIMYTHION.

Vindice praua Deo dat ubiq; ſuperbia poenas,
At qui ſunt humili mente, iuuare ſolet.

HINNVLVS.

Hinnulus eſt cerui ſic uerba locutus ad aures,
Hoc me care pater ſcire uolente refer:
Cùm minus eſſe canes te grandi corpore nôris,
Et magis his ualeas uiq; fugaq; pedum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Cornuaq; alta geras uitam inſturmenta tuendi,
Cur ita latratu ponè ſequente paues?
Cui pater arridens de me quæ nate recenſes,
Re teſtante licet ſint ita, Ceruus ait:
Neſcio qua ratione tamen, ſimul attigit aures,
Vox audita Canum, me timor inde fugat.

EPIMYTHION.

Quos timidos belli natura creauit, ut auſint
Arma ſequi fortes, nemo mouere poteſt.

APICVLA ET IVPITER.

Quòd ſe ſurriperent genitos operante labores,
Mortales ægrè parca ferebat Apis,
Arte fauos mirè conſtructos ergo Tonanti
Obtulit, has querulis uocibus orſa preces:
Qua me munit acu natura, requirit, ut addas
Huic uim lætiferam, uox mea, ſumme pater.
Non immane ferens uotum cui Iupiter inquit:
Viuificam potius uim tribuiſſe uelim.
Vt ſimul amiſſo uitam mucrone relinquas,
Iuſta tibi hæc uoti pœna ferocis erit.

EPIMYTHION.

Pœna Deo uenie largo non illa probatur,
Quæ nimis eſt iræ triſte furentis opus.

LIGNATOR ET MERCVRIVS.

Ligna ſecans gelidum quidam ſudabat ad amnem,
Huic cadit in fluuij merſa ſecuris aquas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Ergo ſedens rationis inops, quâ quærat in undis,
Anxius hac lacrymas ſorte mouente dolet.
Mercurium quas fama refert audiſſe querelas,
Per loca cùm ferrent hunc ea fortè pedes.
Clade uiri qui motus aquam ſubit, unde ſecurim,
Non amiſſa tamen quæ fuit antè, refert.
Aurea ſed fuit hæc educta bipennis ab undis,
Quam ne ſuam credat Ruſticus eſſe, rogat.
Qui negat eſſe, Deo mox hinc argentea cœpit
Efferri, pariter quam negat ille ſuam.
Farrea tunc oſtenſa, ſuam quam lætior inquit
Eſſe probæ nimium ſimplicitatis homo.
Cui Deus hac omnes gaudens pietate ſecures,
Sponte fauoris opes donat habere ſui.
Hæc, uelut acciderant, quia pluribus ille recenſet,
Somniat unus idem ſe quoq; poſſe ſequi.
Abijcit ergò ſuam, quâ ſtagna profunda, ſecurim,
Inq; loco ripæ uoce querente ſedet.
Maiæ natus adeſt, uelut antè, refertq; bipennem,
Sed cui materies aurea tota fuit.
Et rogat, anné ſibi hanc delapſam dicat in undas,
Eſt ea, qui læta mente, ſecuris ait.
Tum Deus auerſans mentitis uocibus uſum,
In celerem ſecum fert ea dona fugam.

EPIMYTHION.

Quàm prodeſſe bonis Dij miti numine gaudent,
Tam uel obeſſe malis lege frequente ſolent.

DE VVLPE ET VVA.

Pendentem de uite uidens ſublimius uuam,
Omnibus hanc Vulpes uiribus uſa petit.
Subſilit, arreptamq; parat decerpere morſu
Nequicquam, cupidæ præda negata fuit.
Qua quia ſpem uanam potiundi experta quieuit,
Hoc quaſi deteſtans nomine ſemet, ait.
Stulta peto crudis quid adhuc humoribus uuas,
Plenus amaricie quas ſapor intus habet?
Præcipueq; illam, quæ uix tollenda uidetur,
Vt foret in medijs uua reperta uijs.

EPIMYTHION.

Non ea, qui ſapiunt, quæ ferre neceſſe, recuſant,
Cedere fortunæ non ratione caret.

DE PVERO ET SCORPIO.

Dum captare puer querulas parat arte locuſtas,
Scorpius huic lætum triſte minatus ait:
Ne me tange manu puer heus uenare Cicadas,
Aut etiam nunc has ictus abire ſines.

EPIMYTHION.

Praua uelut certam peſtem commercia uites,
Sit tibi nĩ miſeris dulce perire modis.

MALVS ET PYRVS.

Cum Malo uicina diu Pyrus arbore certat,
Vtraq; formoſam ſe magis eſſe refert.
Hoc audiſſe Rubum, quẽ rura propinqua tenebãt,
Et dixiſſe parum uoce decente ferunt:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quas mouet infeſtas diſcordia, ponite lites,
Hoc fieri me ſic precipiente uelim.

EPIMYTHION.

Auſis inter ſe certare potentibus, audent
Vel minimi ſummum quærere quiq; locum.

TALPA.

Talpa morum cerni ſibi nullo beſtia uiſu,
Et tangi nares thuris odore refert.
Auribus hauriri ſimul ære ſonante fragorem,
Impatiens ficti cui ſua mater ait:
Te ſimul olfactu, ſimul audituq; fatentur,
Garrula ceu uiſu uerba carere probant.

EPIMYTHION.

Dum ictabundis eſt oſtentare uoluptas,
Conſcia mentiti dicta ſubinde patent.

VESPÆ.

Noxia Veſpa ſitim patiens & Garrula perdix
Agricolam poſcunt, qua recreentur, aquam.
Et meritas omni ſpondent huic tempore grates,
Quas, præſtare ualent qua uice cunq;, uolunt.
Nam fodietur enim Perdix tua uinea nobis,
Veſpa, mihi fures hinc abigentur, ait.
Agricolam dixiſſe ferunt, ſibi uiuere tauros,
Omnia qui iuſſu ſpontè ſequantur heri.
Et ſine pollicitis qui munia debita præſtent,
His dare ſe riguam iurè deceret aquam.

EPIMYTHION.

Sunt, operam ſimulant qui te ſermone iuuandi,
Qui tamen euentu teſte nocere ſolent.

PVLEX CAPTVS.

Captiuum quidam pulicem cùm nocte teneret,
Sit tam parua genus beſtia quale rogat.
Qui reſpondet, ut exugam, mihi uita, cruorem
Corporis humani, qui malus eſſe ſolet.
Sic ego nil, niſi pungo cutem quòd leniter, obſum,
Ergo tibi nullo iure necandus ero.
Tum rogat ille, ſubeſt cui uis impunè necandi,
Nôrit an humanis utile rebus opus.
Qui: nec obeſſe ferè quicquam nec lædere (poſſu,
Dignus es ergo mori tu mihi dixit homo.

EPIMYTHION.

Vt praui minimè dare damna nocentia poßint,
Hos procul eſſe tamen commoditatis erit.

PVLEX.

In pede fortè Pulex molitur inertia morſu
Vulnera, qui ſuperos orat adeſſe, uiri.
Herculis illa Dei ſibi uult ope damna leuari,
At ſceleri ſaltu ſe mouet inde Pulex.
Tunc iratus homo: Diuo quid ab Hercule poſcam,
In pulicem mihi cùm ferre negârit, opem?
Quæ ſpes auxilij, ſi magna pericula tangant,
In re tam facili ſi mihi deſit, erit?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Rebus in exiguis non imploranda potentum
Auxilia, in magnis illa petenda malis.

DE LEONE PICTO ET ADOLESCENTE, FATALIA VITARI NON POSSE.

Eſſe Leonino periturum uulnere natum,
Quidam uate parens indice doctus erat.
Ergo timens puero pater urbe, domoq; uolentē,
Non exire metu nempe iubente tulit.
Sed cùm uenandi iuuenili more cupido
Magna teneret, & huic mens generoſa (foret.
Ædibus in totis pingi genus omne ferarū
Curat, ut oblectent hunc ſimulacra pater.
Ergo die quadam cùm uiſa Leonis imago
Eſſet, in hanc iuueni mox grauis ira uenit.
Vnde feram uerbis culpare minacibus audet,
Cogitur ob quam ſic ille latere domi.
Virginis incluſæ tabeſcens more manendi,
Intra tecta ſui uel ſine fine patris.
Ille ferens ægrè nimis hoc impingere pugnum
Incipit huic, quanto robore, uiq; poteſt.
Ferreus hanc muri partem ſed clauus habebat,
Efficit hunc miſerè quo manus icta mori.

EADEM ALITER.

Mordicus arrepto ſterni ſe corpore quidam
Somniat, infeſto, ſeq; Leone premi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Qui ſemel ingenti cùm cerneret oris hiatu
Effigiem ſculpti fortè Leonis opus:
Diductis palmam audet iners immittere labris,
Non impunè tamen facta ſequente ioco.
Namq; caua qui fauce feræ latet improbus, ang
Huic perhibent ictu ſic uiolaſſe manum,
Poneret ut paulò pòſt triſti funere uitam,
Augurijq; fidem tale probaret opus.

EPIMYTHION.

Fata quod imponunt, putet euitabile nemo,
Ni uelit omnipotens hæc inhibere Deus.

AQVILA ET HOMO.

Euellens Aquilæ grandes de corpore pennas
Quidam, ne uolucrem ſic ferat ala, facit.
Hanc emit & pennis Aquilinis inſtruit alter,
Et facit, hæc, quô uult, tendere poſſit auis,
Quæ Leporem prendens mox uncis unguibus
Hac domino gratam ſe ratione probat. (fe
Se ſed heri paulò quia pòſt animalibus infert,
Huic mouet exitij tunc quoq; penè metum.
Hinc quibus antè nouis inſtruxerat, eripit alas
Rurſus, & hac pennæ præpetis orbat ope.

EPIMYTHION.

Non ope muniri tibi praua potentia debet,
Quæ ſimulans pacem mox fera bella mouet.

DE PVERO ET FORTVNA.

Ad putei Fortuna notat quem ſtertere fauces,
Vt puer ire domum, præcipit, inde uelit.
Te quia ſi uertens in ſomno incautius, inquit,
In putei preceps deijcerêris aquas.
Stulticiam tunc nemo tuam culparet, at omnes
Arguerent me, quòd paßa perire forem.

EPIMYTHION.

Quæ mala ſæpè ſuis homines erroribus augent,
Illa Dei nutu ſic cecidiſſe putant.

SIMIVS REX.

Simius in quodam conuentu magna ferarum,
Præmia ſaltandi nobilis arte tulit.
Hunc regem facerent ea tandem induſtria mouit,
Vnanimi faciles tanta fauore feras.
Inuidet hanc illi fortunam callida Vulpes,
Quæ dolet hoc cœpto non ſapienter agi.
Vnde nouo Regi non nunc celaberis, inquit,
Hoc, quod ſcire tuis utile rebus erit.
Simius admirans, quid credat id eſſe, requirit,
Cui Vulpes tacitæ conſcia fraudis ait:
Forſan ubi lateant ſemel indice patre notaui,
Imperij quæ te iure ſequentur opes.
Simius auditis his, ire quid ergo moramur,
Rebus ut effoßis his potiamur? ait.
Cui ſed agi cautè Vulpes hoc inquit oportet,
Difficili tales lege petuntur opes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Itur, & in ſyluam Vulpes hunc callida ducit,
  Frondibus hic prenſum retia tecta tenent.
Dum feſtinat & inſidias nil ille ueretur,
  Anxius hoc caſu qui ducis orat opem.
Quæ debere refert ſe non attingere Regem,
  Debita ſaltanti regna nec eſſe docet.

EPIMYTHION.

Plus indignus honos, quàm prodeſt, lædit habentē,
  Nec bene ſtulticiam facta profeſſa cadunt.

FABER ET CANIS.

Fama fuiſſe canem fert cuidam conſcia Fabro,
  Hunc operante frequens ſonus habebat hero.
Surgere ſed domino iam diſcumbente ſolebat,
  Ad menſam referens ſe, repetensq; cibum.
Hoc Faber aſsiduo fieri cùm cerneret uſu,
  Non ego ferre uelim longius illud ait.
Vt tu, dum ſudant mea membra labore, quieſcas,
  Et tamen ipſe meis uſq; fruare cibis.

EPIMYTHION.

Non bene conueniunt ignauus, et ocia uitans,
  Alterius dum uult fœnore deſes ali.

DE LEONE ET TAVRIS.

Ad cœnam inuitans Leo grandi corpore Tauros,
  Callidus hoc teneram nomine mactat ouem.
Hac quos arte uocat uaſtum perſuaſor in antrum,
  Sic fore mactandi mox ſibi ſperat opem.

Grandia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Grandia ſpe qua tum ſibi uaſa parârat & ollas,
Longius haſtili tum quoq; penè ueru.
Quæ ſimul obſeruant ſic arma minantia cædem,
Hinc pede ſe referunt non remorante Boues.
Quos rogat accedant conuiuæ perfidus hoſpes,
Adfore iam lautas ore loquente dapes.
At dixiſſe Boues: non his conuiuia ſignis
Nunc Ouium nobis carne futura patet,
Sed bubulis, ſit uterq; niſi nunc prouidus, eſcis,
Impaſto referunt inde Leone pedem.

EPIMYTHION.

Non facili ratione capi prudentia nouit,
Præuidet inſidias, illa cauetq; dolos.

LEO ET VVLPES.

Exagitans uario Vulpes ſermone Leænam,
Criminis hoc etiam dicit habere uicem:
Quòd ſobolem partu modò quolibet ederet unam,
Tam ſibi præ reliquis uiſa beata feris.
Huic ea dixit: at hanc quam ſic enitimur unam
Partu, progenies eſt generoſa Leo.

EPIMYTHION.

Eſt bonitas ſpectanda magis, quàm copia rerum,
Omne quod eſt rarum, carius eſſe ſolet.

DE MVSCÆ SVFFOCATIONE.

Muſca foco poſitam cùm lapſa fuiſſet in ollam,
In feruente iacens iure, perimus, ait.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

At minus hoc ſatiata cibo, potuq́; morabor,
Lauticies quoddam tanta leuamen habet.

EPIMYTHION.

Exitio multis eſt delicioſa uoluptas,
Quam laudant, pereant hac faciente licet.

DE LVXVRIOSO ET HIRVNDINE

Prodigus aßiduo cùm perderet omnia luxu,
Vnica iam iuueni non niſi ueſtis erat.
Quam quoq; uēdit, ubi huic iā prima notatur hirundo,
Hanc reuocaſſe putat tempora ueris auem.
Et ſolito precium potandi prodigit uſu,
Nec niſi conſumto criminis ære piget.
Namq́; reuerſa ſuo tum more fefellit Hirundo
Ante diem, fieri ſic aliquando ſolet.
Rurſus agente gelu ſæuis quia uiribus anno,
Frigoris impatiens occidit huius auis.
Prodigus hoc cernens ô peßima, dixit, hirundo,
Quæ me, teq; graui peſte perire facis.

EPIMYTHION.

Ne, quæcunq́; geras, alieno tempore fiant,
Hoc quia nĩ caueas, cauſa doloris erit.

DE GALLINA ET VVLPE.

Accedens auium Vulpes aſtuta cohortem,
Non bene Gallinam fortè ualere uidet.
Quæ ſedet in nido perpeſſa grauedine morbum,
Hæc ſatis an ualeat Vulpe rogante refert:

Sic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Sic ſatis, at melius ualituram deinde uideri,
 Si procul hoc Vulpem cernat abire loco.

EPIMYTHION.

Non inimicorum præſentia grata uidenti,
 Et fauor officio, quod ſimulatur, abeſt.

PERDIX ET AVCEPS.

Capta rogat Perdix, ſeſe dimittat ut Auceps,
 Adductura meum ſum genus, inquit, aues.
Quas capient illo mecum tua retia pacto,
 Hac tibi re prædæ cauſa frequentis ero.
At collo quam mox intorto ſtrangulat Auceps,
 Quòd genus illa ſuum prodere uellet, auem.

EPIMYTHION.

Sæpe boni fraudes faciunt autoribus obſint,
 Has nec apud ſeſe pondus habere ſinunt.

DE SEMICANO ET VXORIBVS EIVS.

Vxores habuiſſe duas eſt fama maritum,
 Canicie iam tunc indice penè ſenem
Vna fuit florens ætate iuuencula coniunx.
 Altera iam rugas penè trahebat anus.
Crinibus ergo nigris caput hæc orbaſſe mariti,
 At contrà niueis dicitur illa comis.
Donec ademerunt omnes hoc more capillos,
 Fœdaq; caluities dum ſit adepta caput:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Non bene inæquales uitæ commercia iungunt,
His mala diſsidio mota ſubinde nocent.

DE ARBORE ET CVNEIS.

In ſyluis nodoſa uiro cui cæditur arbos,
Hinc cuneos, fundi poſsit ut illa, facit.
Ingemit arbor ob hanc cauſam teſtata dolorem,
Indignæq; malis anxia ſortis ait:
Non doleo, iam ſim quòd acutam paſſa ſecurim,
Quàm cuneos partem porporis eſſe mei.

EPIMYTHION.

Sæpe nocent noſtri plus, quàm mala cœtera nobis,
Omnibus hoc damnis triſtius eſſe poteſt.

IVPITER ET VIPERA.

Dona Ioui ferrent ſua cùm genus omne ferarū,
Vipera tum ueniens geſsit in ore roſam.
Cui dixiſſe Iouem perhibent: ſat amabile donum,
Sumere non hodie ſed quod ab angue uelim,

EPIMYTHION.

Pulcra malignorum poſsint ut dona uideri,
Non tamen illa doli ſuſpitione carent.

RANÆ ET LVPI PISCES.

Ripa tenebat aquis egreſſas proxima Ranas,
In uiridi quibus hîc gramine luſus erat.
Prætereunt homines illam, qui neſcio, quidam,
Inſilit hoc uiſo turba paluſtris aquas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quas fecere Lupi prædam ſub gurgite piſces,
Incipit hinc uerbis talibus una queri.
Pane cibo cur utentum nos terret imago,
Et fiamus ut his hoſtibus eſca, facit?

EPIMYTHION.

Non pauci temerè mala dum ſurgentia uitant,
In maiora malo ſæpe priore cadunt.

PISCATOR STOLIDVS.

Flumineas hamum quidam demiſit in undas,
Hac opera totum paſſus abire diem.
Nec tribus ille tamen plus piſcibus inde reportat,
Nox oritura iubet quando redire domum.
Qui, quibus inde pedem tulit obuius, omnibus amnem
Piſcibus orbaui callidus autor, ait.
Arguis extractos omnes ait unus an hamo,
Quid potuêre tuo ſi minus ære capi?
Immò hoc cura diem totò mihi triuit agendi,
Vt caperem piſces, quotquot in amne forent.
Quòd ſi participes alij quoq; fluminis eſſent,
Effugerent hami num nocumenta mei?

EPIMYTHION.

Sunt qui poſſe ſuas quantum mens ſomniat, artes
Iudicio fatuos eſſe fatente, putant.

ASINVS COMMVNIS.

Iam moriens natis tribus unum liquit Aſellum,
Paupere prætereà re bona nulla pater.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Cuius habere placet communem fratribus uſum,
His onus alterno portet ut omne modo.
At ſolito differre cibum uno quolibet horum,
Frater ut hunc Aſini promeret uſus ope.
Aßiduè tolerans operiſq; fameq; laborem,
Occidit hoc uitam fine ſequente pecus.

EPIMYTHION.

Parcit iners nimium iuſtis qui ſumtibus olim,
Quas habet, has etiam perdit auarus opes.

DE FELE ET MVRIBVS.

Annectenda uagæ Feli ora ſonantia Mures,
Poßit ut audiri, ſe ferat unde, putant.
Vtile mirificè fore uiſum hoc omnibus, aiunt,
Res tamen effectu uana ſequente caret.
Tinnula nam qui Feli annecteret æra minaci,
Vndiq; Murino de grege nemo fuit.

EPIMYTHION.

Magna leues multi tentare pericula ſuadent,
At non eſſe frequens qui uelit ipſe, ſolet.

DE CORNICE EDVCANTE ACCIPITREM.

Viderat Accipitri Cornix temeraria nidum
Vſq; bonis eſcam ſuppeditare cibis.
Illi quos auium de carne rapina pararet,
Conſilij quarè mox petit huius opem:
Alitis occultè ſurreptis incubat ouis,
Et ſobolem tali procreat inde modo.

Sed firmata ſuis iam uiribus illa parentem
Deuorat, hic auſi finis inertis erat.

EPIMYTHION.

Ipſi ſæpè ſuam mortales gignere peſtem,
Et prudente parum mente fouere ſolent.

DE SIMIA ET NVCIBVS.

Simia laudatas commendatore Sciuro,
Audierat gratas eſſe ſapore nuces.
Has acquirendi non defugit ergo laborem,
Iuglandem ſtudio donec adepta fuit.
Arrodens auido quam dente putamen amarum
Sentit, & hanc duri corticis eſſe nucem.
Hinc rata deluſam nucis à precone Sciuro,
Abijcit, & dulcem non capit inde cibum.

EPIMYTHION.

Spem de ſucceſſu tibi ne patiare labores
Excutiant, quia res his ſine nulla datur.

Sequuntur Apologi ex Chiliadibus Adagiorum Eraſmi deſumti ad communem adoleſcentum vſum.

DE VVLPECVLA ET PARDALE.

Pardalis auſa uel hoc cõtemnere nomine Vulpem,
Diſtinctam maculis quòd ſit adepta cutem.
Cui Vulpes: animi mihi, ceu tu pelle ſuperbis,
Eſt decus, haud alijs quod reor eſſe feris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Corporis exhibeas ut dona iuuantia formam,
　Hæc tamen ingenij nil ſine laude ualent.

DE VVLPE ET FELE.

Iactat apud Felem uarias Vulpecula technas,
　Has uel pera mihi plena miniſtrat, ait.
Cui Felem dixiſſe ferunt: ars unica nobis,
　Fidimus huic, quoties eius egemus ope.
Hæc mutant dum uerba, canum ſonat aura tumu
　Tum Felem ramis inſiluiſſe ferunt.　(t
At mox capta canū laceratur ab agmine Vulpe
　Mille nec huic artes nunc uetuēre necem.

EPIMYTHION.

Conſilio niti fido tibi tutius uno,
　Quàm uel mille dolis quærere rebus opem.

DE REGE ET SIMIA.

Rex multas numero ſaltandi Ægyptius artem
　Simiolas, poſſent tale docebat opus.
Nam ceu mortalem magis his non ulla figuram
　Beſtia, ſic geſtu non magis ulla refert.
Quæ ſaltatrices ubi factæ protinus eſſent,
　Purpureis comtas ueſtibus eſſe ferunt.
Et perſonatas agilem ſaltaſſe choream,
　Remq; diu miris hanc placuiſſe modis.
Sed ſpectator adeſt qui callidus arte iocandi,
　Quas habet, in medium clàm iacit ille nuces.
Mox quibus hæ uiſis interupēre choream,
　Anteq; quod fuerant, eſſe repentè parant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Et certare, nuces quæ plures auferat, audent,
Res facit hæc riſu tota theatra ſonent.

EPIMYTHION.

Cultibus egregijs ut corpus amabile reddas,
Non hic ingenij uim tibi mutat honos.

DE SIMIIS ET PARDALE.

Pardalis inter ſeſe odijs & Simius ardent,
Viribus huic ſed non illa nocere poteſt.
Arboris aſcenſu quia ſumma cacumina uincit
Simius, hac cùm ſe ſentit ab hoſte peti.
Rem gerit inſidijs hanc Pardalis ergo ſupinam
Porrecto ſimulat ſe quia crure mori:
Simioli tum turba dolis citò credula gaudent,
Antè tamen uerè mortua ſit'ne probant.
Mittitur, à ſignis qui colligat eſſe cadauer,
Hanc pede paulatim qui propiore petit,
Tum quia deeſſe ſibi uitalem Pardalis auram,
Vaſra dolis miris, credat ut ille, facit.
Nam ratus exanimem pede nil calcare ueretur,
Illa iubent reliquos ponere ſigna metum.
Turba cateruatim tunc mittit ab arbore ſeſe,
Vicinoſq; ferunt hoſte ferente pedes.
Inſultantq; ioco tandem & ſub calce fatigant,
Dum uidet inſidijs Pardalis eſſe locum.
Illa reuiuiſcens hunc dentibus, unguibus illum
Corripit, & lanians efficit ore cibum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Deſtitui ſimulant ſeſe qui uiribus hoſtes,
  His tibi uitandum nil magis eſſe puta.

VVLPES ET SENTES.

In ſpineta ferunt incautius aſpera Vulpem
  Inſiluiſſe, pedes hinc ea læſa fuit.
Corpore præcipiti dum lapſa prehendere ſente
  Tentat, ut hac utens ſurgere poßit ope.
Hinc ait: hoc an me ſceleratæ ſupplice Vepres
  Auxilio ueſtram ferre paratis opem?
Stulta quid ô Sentes dixêre prehendere tentas
  Nos, ſuus eſt quarum cuncta tenere labor?

EPIMYTHION.

Qui, malè quos urget faciendi innata cupido,
  Orat opem, uicium deſipientis habet.

LEO HOSPES HOMINIS, ET H
MO MEDICVS LEONIS.

Venandi perhibent olim ſpectacula Romam
  In circo clauſis inſtituiſſe feris.
Immanes ſpecie ſimul, & quæ uiribus eſſent,
  Et feritas quarum plena furore foret.
Præcipuè ſolitum qua deſæuire Leonem
  Vnum, mota feræ cùm fuit ira, ferunt.
Impetus hunc quoſuis ingens armabat in hoſtes
  Bellua tam uaſtæ corpore molis erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Qui diro fremitu atq; toris undantibus ibat,
Et ceruice feras concutiente comas.
Omnis in hunc oculos directos turba tenebat,
Beſtia præ reliquis hæc quia grandis erat.
Seruus ad hanc pugnam Dacorum è gente ferarũ
Eſt datus, Androdum nomine fama uocat.
Quem Leo uidit ubi ille modo mirantis, & ipſum
Agnoſcentis adeſt, blanditiasq; refert.
Vſus adulandi caudam quoq; more mouebat,
Attoniti mulcens crura, manuſq; metu.
Blandimenta feræ trucis hæc ſolata timorem
Androdo, recipi ſpem manifeſta iubent.
Cui contemplandi fiducia mota Leonem
Hinc eſt, penè neci quem dedit antè pauor.
Iamq; recognitio ceu mutua ſuadeat, ambos
Gratandi uideas gaudia more ſequi.
Res ea clamorem toti miranda theatro
Mouit, ut hìc teſtem ſe mihi fama facit.
Cæſar ut Androdo non inſultare Leonem,
Hoc ſolitum nullis parcere more, uidet:
Præcipit, arceſſant aliqui, cauſamq; requirit
Hunc ueniæ, trux quam bellua ſpontè daret.
Indicat hiſtoriæ miracula digna relatu
Seruus, & hoc coràm Cæſare narrat opus:
Africa quo populos proconſule terra regebat,
Huic ego ſeruili lege miniſter eram.
Dura fatigabant hìc me quia uerbera ſeruum,
Quæ fuit aſſiduè plurima ferre meum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Hæc differre fugam me non fortuna ſinebat,
  Forſan ab his poſſem liber ut eſſe malis.
Tutus ut à domino procul ergo minace laterem,
  In deſerta cito me pede luſtra tuli.
Quæſiuiq́; ſpecum cupiens ibi perdere uitam,
  Si mihi nulla darent hîc alimenta cibum.
Venit ad hanc pede ſpelucam quoq; ſaucius uno,
  Res mihi quem notum reddidit illa Leo.
Qui gemitu tum plenus adeſt teſtante dolorem
  Vulneris, ille petit cui meditantis opem.
Lenta propinquantem quem cùm ueſtigia ferrent,
  Corde mihi pauido maximus horror erat.
Ille latere ſuo me mox ubi uidit in antro,
  Huc placidis utens geſtibus irá parat?
Oſtenſoq; mihi pede quem ſic læſerat ictu
  Spinæ, ceu medicam uulneris orat opem.
Huic pedis hærentem tunc calce reuellere ſpinam,
  Et purgante manu pus remouere paro.
Deſiccoq; metu mihi ſe minuente cruorem,
  Et facio triſti membra dolore uacent.
Ille medentis opem tam molli ſenſerat uſu,
  Tangeret ut dulci grata ſopore quies.
Inq; meis poſito pede mox requieſcere palmis
  Inciperet, ſomno membra fouente Leo.
Ex hoc communi uictuq; domoq́; uoluptas
  Viuere tres annos tempore dante fuit.
Namq́; feras ſua cùm uenator ad antra ferebat,
  Nembra mihi ſocio ſemper opima dabat.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quæ rapido torrens ego ſole, quòd igne carerem,
Effeci fierent gratus in ore cibus.
Huius ubi uenêre mihi iam tædia uitæ,
Expatiante pedes inde Leone tuli.
Iamq; uiam tridui permenſus ad obuia ueni
Caſtra, feroq; ſtatim captus ab hoſte fui.
Me ueteri Romam domino ille repentè remiſit,
Qui mea membra feris dilanianda dabat.
At docet hunc captum quoq; coniectura Leonem,
Hoc mihi qui grates nunc quaſi more refert.
Me curante quòd hunc olim medicina leuârit,
Quòdq; piæ fuerim ſedulus autor opis.
Hæc miranda mouent omnem ſpectacula turbam,
Androdo ueniam poſcat ut illa dari.
Dimittiq; rogent illum ſuffragia uulgi,
Donariq; uirum ſponte Leone petant.
Qui tenui loro totam tunc ire per urbem
Cernitur Androdi ductus ubiq; manu.
Ære frequentantem paſſim donare tabernas,
Viſaq; flore feram ſpargere turba fuit.
Dicereq;: ecce Leo mortali creditus hoſpes,
Et medicum profitens ecce Leonis homo.

DE ARIONE ET DEL-PHINO.

Nobilis arte, uetuſq; lyræ cantator Arion,
Methymnæ ſoboles urbis alumna fuit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Dicitur ille diu Periandro Rege Corinthi
    Vſus ob artis opus dulce fauente ſuæ.
Qui Siculæ terras inuiſere gentis & urbes,
    Et Latiæ cupiens huc aliquando uenit.
Qui iam cœpit ubi citharæ innoteſcere cantu,
    Hoſpite non illo carior alter erat.
Cui quia larga dabant externi præmia ciues,
    Cùm mulcens animos carperet arte Lyram:
Dicitur hoc illi cumulata pecunia quæſtu,
    Theſauriq; datæ diuitioris opes. (rynthum,
Iam quibus auctus ab hoc parat orbe redire Co-
    Nactus,ut hac reuehi poßit eunte,ratem.
Et nautas, genitos quos nôrat in urbe Corintho,
    Quòd magis his patriæ nomine notus erat.
Quos,maris eueherent illum dum naue per undas,
    Ad ſcelus argenti turpe coëgit amor.
Omnibus hoc uiſum eſt,ut cæde periret Arion,
    Et ſibi furtiuæ diuiderentur opes.
Hanc animaduerſam narrant ab Arione fraudem,
    Suſpenſamq; datis ſpontè fuiſſe bonis.
Omnia prædones ſua qui permiſit haberent,
    Exitio ſe non ſi modò cæde darent.
Hæ flexêre feros modo tantùm pectore nautas,
    Vi manuum nollent ut iugulare,preces:
Se maris ille tamen præceps iactaret in undas,
    Præciperent,ſpes ſic nulla ſalutis erat.
Omnibus ergo modis cœpit cùm uita negari,
    Hoc unum tribui ſupplice uoce petit.

Vt prius, ætherias moriens quàm deſerat auras,
    Artibus utendi copia ſit qua ſuis.
Carpendiq; fides, conſolandiq; dolorem
    Carmine, quem magnum mors obeunda ferat.
Hanc audire truci iuuat artem pectore nautas,
    Ante ſuam mortem ludat ut, ergo ſinunt.
Pulſandi citharam ſic cùm ſaturaſſet amorem,
    In maris hoc habitu deſiliebat aquas.
Nautæ, non dubitant hunc qui periſſe ſub undis,
    Quâ cœpêre, uiam per freta longa tenent.
Contigit, euentu ſed quòd mirabile dicas,
    Huic Delphinus opem ferre natator adeſt.
Excipit ille uehens hũc ſumma per æquora dorſo
    In terram, cui gens clara Lacones erant.
Inde Corynthiacæ Regem petit urbis Arion
    Talis, ad hæc uectus littora qualis erat.
Ad quem iam ueniens narrare pericula cœpit,
    Impius ut mergi nauta coëgit aquis.
Credulus eſſe parum ſed Rex ſermonibus audet,
    Fingere narrantem qui ratus iſta fuit.
Vnde manere dato cuſtode iubetur Arion,
    Nautica de quo clàm turba rogata fuit.
Quæ docet Auſoniæ uerſari gentis in oris,
    Et benè re ſeſe dante ualere uirum.
Huic quoq; fortunam uultu ridere ſecundo,
    Inq; locis illis omne fauere genus.
Et tractare ſuam magnis hunc quæſtibus artem,
    Diuitis argenti qua mereatur ope.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Talia dum memorant nautæ, accerſitus Arion
Hoc habitu, nantem quo tulit æquor, adeſt.
Ire nec inficias perculſis mentibus audent,
Eſſe reos, nautæ ſe uelut ille facit.

APOLOGVS EX SECVNDO LIBRO PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA.

Creuit ad aëriam uentroſa Cucurbita Pinum,
Quæ diffuſa ſuis ſtabat & alta comis.
Hîc riguo creſcens humore Cucurbita cœli,
Laſciuire ſuis uiribus auſa fuit.
Latius effundens nunc porrigit improba ramos,
Illius in Pinum nunc quaſi ſerpit apex.
Nunc uariè patulas inuoluit in arbore frondes,
Et latis folijs iactat ineſſe decus.
Ob pulcros etiam flores candore ſuperbit,
Pomaq;,quæ miro magna uirore ferat.
Tanta tumere ſui facit hanc fiducia faſtu,
Vocibus ut Pinum talibus uſa premat:
Nónne uides ut te folijs ſuperamus inertem,
Quæ quàm magna mihi, tam ſpecioſa uirent.
Et ceu noſter apex tua penè cacumina uincant,
Cumq; mihi qui ſit flore uiroris honos?
At cui iam plenis prudentia creuerat annis,
Quæq; ſuo præſtans robore Pinus erat.

Nil, quas audet iners iactare Cucurbita uoces,
Curat, & huic placidè more loquentis ait:
Hîc multas hyemes ego paſſa fatigor & æſtus,
Mouit adhuc ſed me nulla ruina loco.
At minus ad primos audax eris ipſe rigores,
Qui folijs orbam, quiq; uirore prement.

EPIMYTHION.

Non decet utentem felice ſuperbia curſu,
Non impunè diu quam ſinit eſſe Deus.

DE PARTV TERRÆ.

Se grauidam miro probat olim turgida monſtro
Terra, quòd hæc iam iam ceu paritura tumet.
Mortales trepidant, hæc qui regione morantur,
Deq; nouo partu ſpemq; metumq; fouent.
Centimanu expectant pars una Typhoëa, montes
Pars erepturos eſſe ſed una putat.
Terra fatiſcit, & exiguo Mus corpore prodit,
Spectantes riſu res ea penè necat.

EPIMYTHION.

Non promiſſa fidem debent ſpecioſa mereri
Semper, inexpertos fallere ſæpè ſolent.

ARANEA ET PODAGRA.

A ſolitis telæ requiêrat Aranea curis,
Seque relaxandi feſſa petebat opem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Dum peregrinandi iubet ergo labore cupido
 Hanc animi uires exhilarare ſui:
Huic nodoſa Podagra ſuis uenit obuia membris,
 Quam parat ambiguis paßibus illa ſequi.
Hac iter emenſæ quæ iam cùm luce fuiſſent,
 Vrbs his dicta Tyche forte propinqua fuit.
Tunc ut utriq;, placet, quæratur idoneus hoſpes,
 Pauperis ergo domum ſtulta Podagra ſubit.
Non benè cauta uiri ſed Aranea diuitis ædes
 Intrat, & ad telæ nexile fertur opus.
At quacunq; parat ſuſpendere retia textrix,
 In promtu, ſubitò qui remoueret, erat.
Nocte recens textam telam ſcoparius aufert,
 Et facit huic operam ſæpè perire ſuam.
His dolet urgeri ſeſe hoſpes Aranea damnis,
 Paxq́; quòd in tecto diuite nulla datur.
At morboſa locum quem nacta Podagra manendi
 Ærumnas uarijs huic mouet ille modis. (eſt,
Namq́; cibi cupidæ nudum domus hoſpita panem
 Promit, & oranti non niſi pauper aquam.
Laſſatæq; iligna torum modo ſcamna miniſtrant,
 Gramine quæ nullo, frondeuè ſtrata premit.
Sed tenues paleæ plumis pro mollibus uſum
 Dant lecti, teneram non iuuat ille cutem.
Aureus ergo die uix Sol mutauerat umbras,
 Tarda uiæ ſociam manè Podagra petit.
Cui prior exactam malè narrat Aranea noctem,
 Damnaq; mutato mille ſubinde loco.

Mun=

Mundiciem nunc culpat heri, curamq́; cauendi,
  Ne telam ſolitæ texeret artis opus.
Hoſpitis orſa ſui damnare Podagra querelis
  Pauperiem, ſibi nil hîc placuiſſe refert.
Nec uibice uacat, liuentes monſtrat & artus,
  Durior huic fecit quas adamante torus.
Pauperis ergo caſæ decreuit Aranea ſedem,
  Hæc habitare loci diuitis inde domum.
Haud mora uicinam ſocias iuuat ire ſub urbem,
  Hîc ut propoſiti perficiatur opus.
Nocte propinquabant cũ iam reuocante tenebras,
  Intrat opum plenam cauta Podagra domum.
Opportuna pedes huc quæ tulit, aduena non hac
  Carior eſſe nouo nam potuiſſet hero.
Eſt accepta fide cui penè decentius hoſpes,
  Gratia conſpectam tanta ſecuta fuit.
Strata miniſtrat olorinis molliſsima plumis,
  Turbaue perdicum qualibus eſſe ſolet.
Vt taceam ſiccas huic uitra rigantia fauces
  Lesbia, Cretenſi ſiue creata ſolo.
Carnis aues teneræ Phaſianos, ficedulasq́;,
  Deq́; uolatilium uel genus omne grege.
Deliciasq́; alias, quibus eſt mulcenda uoluptas,
  Nil quibus ad genij gaudia deerat opum.
Aſt impunè ſuas molitur Aranea telas,
  Inq́; domo ſpreti tuta moratur heri.
Demolitur amœna nec huic ſua retia ſcopis
  Hoſpes, ut in tecto rupta priore tenet.

Dumq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Dumq; ſequens operas uacuam uelut incolit aulā,
Orbiculare labor ſedulus urget opus.
Iamq; nouos parat, aut cœptos finire labores,
Damna nec à ſcopis nunc metuenda pauet.
Nullius inſidias nunc, inſultúſue tremiſcit,
Liberiuſq; uicem ceu dominantis obit.
Tempore non longò pòſt uiſit Aranea ſedem,
Nacta fuiſſet ubi lauta Podagra locum.
Ac libertatem regnandi iactat & uſum,
Texendiq; ſuæ ſedulitatis opus.
Diuitis ergo domus ut degat Aranea tectis,
Semper opum plenis deinde Podagra, iuuat.

EPIMYTHION.

Ille loco felix alio eſt, alio ille uiciſsim,
Quem mutare uiris utile ſæpè fuit.
Sunt ubi diuitiæ uis eſt ibi plurima morbis,
Paupere libertas ſub lare maior erit.

BELLEROPHONTIS FABVLA.

Bellerophon, Glauco ſatus eſt qui Rege Corynthi,
Ob ſtudium Iuuenis clarus equeſtre fuit.
Cui prius Hippomeno nomen fecere parentes,
Hinc Pegaſi cauſam fabula traxit equi.
Bellerus hoc cecidit uictore Corynthius olim,
Bellerophon facti dictus honore fuit.
Argiuo ſub Rege diu cui ſtrennua Præto
Facta prius magni cauſa fauoris erant.

Sæua

Sæua ſed inde odij tetigêre pericula uitam,
  Quod mouêre feris crimina ficta dolis.
Huic formæ natura parens adſtârat honores,
  Hinc Iuuenem Prœti nupta furenter amat.
Quem de re turpi non ſollicitare ueretur,
  Digna ſed huic iram laude repulſa mouet.
Blanditiæ uoto nullæ ualuêre potiri,
  Ille pudor magni cauſa furoris erat.
Hæc ſcelus ergo timens ne detegat ille marito,
  Criminis hunc miris arguit uſa dolis.
Coniugis accurrens querulis clamoribus aures
  Occupat, & fraudes ingenioſa tegit.
Penè pudiciciæ iacturam paſſa fuiſſem,
  Hei mihi, ui ſerui Bellerophontis ait.
Intentare mihi quia ſtupra nefanda parabat,
  Ille tamen cœptum ſenſit inane furor.
Te niſi digna ſcelus duce pœna marite ſequatur,
  Vt precor hoc in te uindicet ira Deûm.
Concipit audito Rex hoc conamine bilem,
  Ac modo prudentem quæ decuêre, facit.
Ipſe manus ueteri non infert ultor amico,
  Hoc impunè tamen ne ſinat eſſe ſcelus:
Iobatæ ſocero mittens, unáq; tabellas,
  Huic uitam peremi qua ratione petit:
Iobatæ, Lyciam tunc qui ditione tenebat,
  Cui gener illuſtri ſanguine Proetus erat.
Qui rex à genero cùm diſcit adeſſe miniſtrum,
  Huius ab aduentu gaudia magna capit.

M Mactatiſq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Mactatiſq; nouum præſtans hunc bobus honorē
Conuiuam totidem gaudet habere dies.
Et decimā cùm ſole darent duce tempora lucem,
Num qua ſit à Præto littera miſſa rogat.
Bellerophon, fraudum cui mens ignara, tabellas
Reddidit, hæ dantem perdere cæde iubent.
Iobates, generi quid poſcat epiſtola, ſentit,
Hoſpitis ut uitam deleat enſe, monet.
Quem quia cæde palàm perimi non iura ſinebant
Hoſpitij, non huic intulit ille manus.
Iam tum deeſſe nihil dignum cui laude uidebat,
Aut uirtute, uiri cui nota fortis erat.
Cùm tamen indigno mores maculauerit auſo,
Facta pati magnum credit inulta nefas.
Mittit, ut immanem uelit ergo domare Chimæram,
Quæ monſtri ſpecies dira minacis erat.
Fronte Leo, medioq; draco, caudamq́; capella,
Horribilem flammam fauce uomente dabat.
Non modo congreſſu, ſed trux quoq; beſtia uiſu,
Ac terrore ſui plena furoris erat.
Hanc proſtrauit humi Iuuenis certamine uictor,
Lausq; triumphantem magna ſecuta fuit.
Hinc contra Solymos edoctam prælia gentem
Mittitur, ut tandem fuſus ab hoſte cadat.
Durius hac ſibi re nihil eueniſſe fateri,
Hunc ſolitum facti conſcia fama refert.
His etiam uictis oppreßit Amazonas armis,
Fœmineum ſexu, mente uirile genus.

In Ly-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

In Lyciam poſt hæc iam bella redire uolenti,
Rex alia uitam demere fraude parat.
Inſtruit ille uirûm delectam Marte cohortem,
Vis hunc inſidijs cuius adorta necet.
Bellerophon totam ſed quam domat ocyus armis,
Liber ab hac quia tunc cæde nec unus abit.
Tum demum ille Deo ſe defenſore tueri
Cognitus, & pœnæ non reus eſſe fuit.
Rex illum Iobates hinc in ſua regna recepit,
Dimidiæ tribuens huic ditionis opes.
Imperijq; lubens ſecum conceßit honorem,
Vxoremq; ſatam ſe genitore dedit.
Tum uero Lycij partos uirtute triumphos
Suſpiciunt tantum Bellerophontis opus.
Numen honorato quem ceu cœleſte ſalutant
Nomine, ſecernunt huic nemoriſq; locum.
Cui decus omne ſoli tempe dulciſsima præbent,
Viuat ut hic luci diuitis inter opes.
Bellerophon tunc uſus ubi felicibus annis
Ter uice gignendi fit redeunte pater.
Hippolochum natos & Iſandrum ſuſcipit heros,
Naſcitur una quibus Laodameia ſoror.

EPIMYTHION.

Qui cauet infami fœdare libidine mores,
Hunc ſua cœleſti præmia lege manent.

DE BOVE RVMINANTE ET PORCO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Forte recubit humi, et præmorſas ruminat herb
Taurus, opima cibo qui ſua membra gerit.
Porcus adeſt deridendi qui geſtibus audet
Hunc miſero præ ſe uiuere more loqui.
Obijcit ille cibos reuocandi è uentre laborem,
Oreq; mandendi ſic iterante uices.
Membra ſaginari ſua mox cùm paſta ſolerent,
Nôrit in os quamuis non reuocare cibum.
Bos cui dixit: utriq; modum natura miniſtrat,
Pabula carpendi faucibus apta ſuis.
Vt mihi quæ lautè, tibi mos auidè eſſet edendi,
Corpus iners mox hinc pingue ſagina facit.
Aptos præterea non unum fecit ad uſum,
Me natura bouem prouida, teq; ſuum.

EPIMYTHION.

Qui uigili uitæ doctrinas ruminat uſu,
Rebus ut hæ proſint efficit ille ſuis.

DE BOVE ET EQVO.

Facta pedes ſolido cui munijt ungula cornu,
Fiſſa quòd illa Boui ſit malè, ridet Equus.
Tardius inde dari cauſam quia dicit eundi,
Nec lentos alacri more ſalire pedes.
Reſpondiſſe Bouem perhibent: lenteſcere cautè
Sæpè minus uitæ, quàm properare nocet.

EPIMYTHION.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Feſtinare nimis cauſam dat ſæpè morandi,
Quicquid agas, cauto pectore lentus agas.

DE CORVO, GALLO, ET GALLINIS.

Quos iunxêre pares ſociæ commercia uitæ,
Concordes ſtabili gratia lege facit.
Sic aliquando uolens cum Coruo degere Vulpes,
Eſuriens tales repperit arte dolos.
Induit in morem Monachi uerſuta cucullam,
Lecturæq; librum geſtibus uſa locat.
Atq; pedes tanquam palmas erecta priores,
In cœlumq́; oculos ceu queribunda tenet.
In genua incumbens pede poſteriore precandi
Delictis ueniam numina geſtus erat.
Hinc auium Gallinarum uexare cohortem
Fraude, uolens illas perdere, Coruus adit.
Miraq; mutatæ de relligione recenſet
Vulpis, & hac animal ſanctius eſſe negat.
Et uerbis opus ecquid? ait, quin copia uobis
In nemus adductis, ut uideatis, erit.
Dedita diuinis ceu cultibus optima Vulpes
Tota ſequi ſtudeat nunc pietatis opus.
Mouit aues ſtolidas fallax facundia Corui,
Vt, quô blanda dolo uox iubet, ire uelint.
At Gallo fraudem cœpêre docente moueri,
Vt referant, cupiant nî periſſe, pedes.

EPIMYTHION.

Cui credas, animo cautè circumſpice, uitam,
Rara ſolet blandis uocibus eſſe fides.

DE TERRA ET COELO.

In Terram ſparſiſſe ferunt conuicia Cœlum,
Fertur inhumanis quæ cumulaſſe modis.
Obijcit, illa ſuam quòd ceperit infima ſedem,
Nactaq; quòd molem, deſidiamq; foret.
Terra, loco mundi licet imo nitimur, inquit,
Hoc mihi dedecori non tamen eſſe poteſt.
Nec pudet immotam conſiſtere, te nec in orbem
Inuideo celeri mobilitate rapi.
Deniq; rem nullam mea, dixit, inertia lædit,
Nec perhibere meum pondus obeſſe potes.
Cùm tu materiam gyrante uolubile cogas
Axe, fragor diri fulminis unde uenit.
Halitus & terræ quà noxius inficit orbem,
Cui uis eſt animæ, quo genus omne perit.

EPIMYTHION.

Eſſe docens humili mortales pectore uirtus,
Grata Deo pulcræ non ea laudis eget.

DE CORPORE ET ANIMO.

Corporis exangues ueniente reliquerat artus
Morte ſolens hoc non mens pereunte mori.
Dum nondũ ergò tacens putreſcit inane cadauer,
Protinus interno membra uapore tument.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Hoc incremento ſibi mira placere uoluptas,
Mox animi uanam ſed fore uerba docent.

EPIMYTHION.

Stulticiæ mox uana luit iactantia pœnas,
Illa manere diu neſcit inulta Deo.

DE SIMIA ET VVLPE.

Sera pœnitentia

Simia ſtulta uidens nautas conſcendere malos,
Nititur hanc Coruo rem prohibente ſequi.
Sed quæ ſe flecti non hoc monitore ſinebat,
Nauis ut antennas contigit ergo manu:
Mox uexante caput præceps uertigine labi
Cœpit, & afflicto corpore penè mori.
Hinc ſolio uiſo, quo Rex ſeſe antè locârat,
Imminet, & ſuper hoc tota ſuperba ſedet.
Deridens accedit, & an, Vulpecula quærit,
Imperet, & dominæ nunc uice regna gerat.
Quin ades, ut me tu reginam læta ſalutes,
Et gratere nouum, Simia, munus, ait?
Tũ Vulpes: immò fuga te procul auferat hortor,
Nì mala ſtulticiæ ſpontè ſubire uelis.
Simia ſed, quæ nil ſic Vulpe monente mouetur,
A grege penè canum iam redeunte perit.
Ante reuertentem dominum quæ turba redibat,
Mordicus arripiens uiribus uſa feram.
Semianimem quæ uix tandem, laceramq; reliquit,
Simia ſic ſero tacta dolore ſapit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Qui monet errantem, non huic parêre recuſes,
Ne referas, ſerò qui ſapuêre, Phrygas.

DE PASSERE ET APICVLA.

Et qui uitet aues alias, & ſanguine iunctam
Qui gentem, perhibent Paſſeris eſſe genus.
Illorum conſorte carens quòd uiueret, unum
Iactantem patiens non tulit, illud, Apis.
Tutius illa refert cum cœtu degere uitam,
Namq; niſi ſocio nil grege dulce geri.

EPIMYTHION.

Natus homo, ſciat humanis ut moribus uti,
Oſorem generis dedecet eſſe ſui.

DE OVE ET CERVO.

Vidit aperta ſuæ gaudens Ouis oſtia caulæ,
Ocyus in ſyluas ergo uagata uenit.
Obuius errandi ſed cui compeſcit amorem
Ceruus, & ad domini ſepta redire monet.
Et docet hanc ſolam tutum non eſſe uagari,
Per loca præſertim non caritura lupis.

EPIMYTHION.

Seruitij fuga ſæpè malis maioribus auxit,
Vtile quo, qui non ſe regat ipſe, premi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

DE NVBE ET TERRA.

Nata uapore uehi terræ in ſublime uolebat
Nubes, Terra, rapi non uelit inde, monet.
Et ſe parte ſui ne deſerat orta parentem,
Vtile non cœptum re fore teſte probat.
Matris at his monitis renuentem cedere nubem
Diſsipat, & uim non uentus habere ſinit.

EPIMYTHION

Plus alijs uicijs odioſa ſuperbia ſemper
Plectitur, eſt humiles cura iuuare Deo.

DE FORMICA ET APIBVS.

Se iungebat Apum Formica uolatilis alis
Agminibus, facti non benè cauta ſui.
Hyberno quia ſe claudi cum tempore nollet,
Hac fuit ad patrium ſorte reuerſa genus.
Sed uacuam iratæ non admiſere ſorores,
In commune boni dum nihil illa tulit.
Vnde reuiſit Apes, ſed quæ foramine clauſo
In tectis nequeunt huic tribuiſſe locum.

EPIMYTHION.

Conceſſam uitæ ſtationem quemq; tueri,
Nec mutare, iubent tædia ſi qua, decet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

DE RHINOCEROTE INCVR-RENTE IN RVPEM.

Eſt fera, cui ualidæ ſunt grandi corpore uires,
Quamq; tegit clypei ſquamea more cutis.
Quæq; ſuis cornu præbens è naribus unum
Nomen ab hac ſpecie Rhinocerotis habet.
Cerneret ex genere hoc Coruũ cùm rupe ſedentẽ
Vnus, in hanc totis uiribus uſus adeſt.
Impetus hanc uehemens motis euertere ſaxis,
Coruus ut hoc præceps monte ruente cadat.
Frangit iners ualidum ſed cui uiolentia cornu,
Irridente malum Vulpe, quod ille tulit.
Quæ docet ad tales alia inſtrumenta requiri
Conatus, quaterent rupis ut illud onus.

EPIMYTHION.

Ni regat audendi ualidas prudentia uires,
Exitij cauſam ſæpè ciere ſolent.

DE ONAGRO ET SIMIA.

Sylueſtres aſinos quos eſſe tenemus Onagros,
Eſſe pigros cœlo nube carente ferunt.
At ſi turbato caligant aëre nubes,
Laſciuire ſolent, læticiamq; ſequi.
Simia quorum uni ſemel obuia ſole ſereno
Hunc triſtem, dubitans qua ratione, uidet.
Ergo, quid aſpicio tardè te, dixit, euntem,
Mœſticiæ ſignum cur pede lentus habes?

Sic ſo-

Sic ſoleo, qui dixit, abeſt cùm nubila cœlo
Caligo, pluuio me iuuat aura die.
Simia: ſi frontem mundo triſtante ſerenas,
Læticiæq; uacas ſole latente, uale.

EPIMYTHION.

Sunt, adeo peruerſa ſequi qui moribus audent,
Vt faciant alijs more placente nihil.

DE COLVMBA ET LVTO.

Auras dum celeri ſecat alba Columba uolatu,
In medium preceps detulit ala lutum.
Quo ridente, parum moror emendabile damnum,
Hoc ego, candorem mox aqua reddit, ait.
Eſt mea mundicies, tua ſed ſquallere uoluptas,
Hæc tibi ceu ſemper, ſic placet illa mihi.
Hinc auis ad puram fœdata coloribus undam
Accedens ſordes eluit amne ſuas.

EPIMYTHION.

Inſontes famæ poßint ut labe notari,
Illa tamen uero nulla patente manet.

DE CICONIA, MVRIBVS ET RANIS.

Quæſitura cibum ieiuna Ciconia Ranas,
Aut Mures, auidè conſulat arte gulæ:
Accedens, habitabat iners quam Rana, paludem,
Quòd grauis in hanc ſit Muribus ira refert.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quòdq; nimis horum ſæuis audiuerit unum
    Perdere conantem cæde paluſtre genus.
Dicentemq; duas,treſúe unum uincere Ranas,
    Seq; triumphantes poſſe referre manus.
Tunc cum Mure tumens in aperto prælia campo
    Robore uelle ſuo Rana ſubire refert.
Fraude ſagax ſimili petit inde Ciconia Murem,
    Quem docet ob Ranæ bella manere minas.
Quam iactaſſe decē uictrix quòd ſternere Mures
    Poſſet,& hoc nullo penè labore,refert.
His ait auditis Mus ſæuam accenſus in iram,
    Non impunè minas has fera Rana feret.
Deſignare locum pugnæ iuuat huius aperto
    Æquore, quo gererent tā graue Martis opus.
Huc bellatores dum ſtulta cupido uocabat,
    Hos impunè cibos uafra petiuit auis.

EPIMYTHION.

Inter ſeſe odijs qui quondam, aut litibus ardent,
    Mox alijs fieri præda ſubinde ſolent.

DE AVARO ET MONTIBVS AVREIS,

Quòd foret ~~aureolis~~ quidam audijt India ~~uenis~~,
    Et uarias rerum diues haberet opes.
Hanc petit ergò uiæ per mille pericula terram,
    Spes tamen optato fine ſequente caret.

Hos quia fecit inacceſſos cuſtodia Montes,
Quos uigili diræ lumine Gryphes habent.
Spem periiſſe dolens ſic ille uiæq; laborem,
In patriam mœrens inde relegit iter.

EPIMYTHION.

Incauti rem ſæpè petunt, quā nulla potiri,
Siue frui ratio, ſeu uia certa ſinit.

DE SIMIA ET CIRCVLATORE.

Præſtigias doctum petit obuia Simia ueſtem
Mortalem, precibus mox dedit ipſe locum.
Aureolis datur hinc diſtincta, decoráq; filis
Veſtis, at haud donum conditione caret:
Quod datur, ut collo ſeſe ſinat illa ligari,
Hoc ſeruire modo deinde coacta fuit.

EPIMYTHION.

Quæritur à multis dum delicioſa uoluptas,
Perpetuò ſeruos hos ea ſæpè facit.

DE HIRVNDINE.

Ore uenenati dum ſugit Hirundo cruorem
Vlceris, infecto ſanguine plena perit.

EPIMYTHION.

Non magis ingluuie mortalibus altera peſtis
Officit, hac plures, quàm truce Marte, cadunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

DE TERRA ET COELO.

A cœlo recipi calefactos, antè recentes
Quos daret, humores Terra repentè dolet.
Namq; recepiſſem niſi, quo dare nomine poſſem,
Res'ne tibi hæc, Cœlum, mira uidetur? ait.

EPIMYTHION.

Alternis benefacta modis exercita durant,
Inq; uicem certans res operoſa fauor.

DE MARI ET AMNE.

In Mare quando flues nõ amplius, inquit, ad Amnẽ
Nereus? dum recipi tu ſinis, Amnis ait.

EPIMYTHION.

Eſt qui largus opum, benè non ſine fine mereri
Deſinit, & nil hic mente tenace negat.

DE APICVLA ET EBRIOSO.

Cernit Apem, lætis uaga dum circumuolat alis,
Ebrius, atq; ſequi niteris ecquid ait?
Huic Apis äerios, dulciq; ſapore liquores,
Ebrius: ergo bibas larga, uenito, merum.
Plenaq; nectareo mox pocula præbet Iaccho,
Vina ſed infeſtam rem quaſi uitat Apis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Omnibus haud eadem grata & iucunda uidentur,
Eſtq; uoluptatum crimina turpe ſequi.

DE AQVA ET OLEO.

Cùm liquor effuſi ſuper amne nataret Oliui,
Vnda nouum temerè preſſa recuſat onus.
At nil curat Aquam quia, mox correptus oliui,
Conſumiq; calens incipit igne liquor.
Vis cùm duret Aquæ, quæ non obnoxia flammis,
Se nec ab his uri, res aliaſq; ſinat.

EPIMYTHION.

Pro meritis praui non proſunt, ſæpius obſunt,
Damnaq; ferre boni ſimplicitate ſolent.

DE PROMETHEO.

Cœperat humanas ſpecies formare Prometheus,
Illa ne ſit concors turba futura probat.
Antè, caput reliquo trunco quàm corporis aptat,
(Quæ ſedes animæ debet habere locum.)
En ſacco capita ille dato non pauca recondit,
Laxatoq; facit per iuga montis agi.
Tunc unum uidet huc, aliòq; uolubile ferri
Illud, & attactu mutua ſæpè peti.
Hinc liquet ingenijs diſcordia quanta maneret,
Cum capitum numero quæ fore multa uidet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

EPIMYTHION.

Quot ſumus, ingenijs totidem diſcernimur omnes,
Et ſibi præcipuè quiſq; placere ſolet.

DE EODEM, ET FRATRE EPIMETHEO.

Cœperat effigies hominum formare Prometheus
Sub terræ, fabricam quam dabat apta, ſpecu.
Huc quondam ueniſſe ferunt Epimethea fratrem,
Res alias illo forſan agente ſuas.
Horum qui ſpecies operam cùm uidit & artem,
Mox imitatrices cœpit habere manus.
Deq; luto formare parat ſimulacra uirorum,
Fratris ad effigies ſedulus illa facit.
Dicitur his animam dehinc inſpiraſſe Prometheus,
Hæc dum mixta ſuis fortè iacere uidet.
At quæ cùm reliquis non conſentire uideres,
Hæc quia diſsimili fecerat arte labor.
Poſteritas ceu uiuit adhuc uerſuta Promethei,
At ſtolido ſobolem pectore frater habet.

EPIMYTHION.

Naturis nec ſunt homines, nec moribus ijdem,
Sunt quæ dona tibi, non habet alter homo.

DE EQVO.

Stirpis Equum phaleris generoſum fama ſuperbis
Ornatum, miris exiluiſſe modis.

Inceſſuq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Inceſſuq; graui fortem uoluiſſe uideri,
  Geſtibus effuſè ſigna iocantis erant.
Ac loris ſtimulante tubæ clangore teneri
  Reſpuit, atq; aures huic facit ira micent.
Concutiatq; tubam, belli tam magna cupido,
  Stare loco pugnæ neſcius optat opus.
Inde ſed armorum uiolento ſaucius ictu,
  Exitium uitæ flebile penè tulit.
Vnde reductus ubi miſer ad præſæpe fuiſſet,
  Ob mala demißis auribus illa ſtetit.
Et iam ſtare poteſt placidè, flatumq; remittit,
  Subſtratoq; iacens gramine membra fouet.

EPIMYTHION.

Dulcis inexperto belli non uera uoluptas,
  Læſus ab hoſte ſemel qui fuit, arma timet.

DE RVSTICO ET MERCVRIO.

Eſuriens & rebus egens en Ruſticus orat,
  Eſt cui Maia parens, ſupplice uoce Deum:
Vt peregrinanti ſibi præbeat obuia merces
  Semita, ſpem Diuo dimidijq; facit.
Audijt aure preces facili Deus aliger ultrò,
  Datq; quid illarum, quas petijſſet, opum.
Et plenos fructu, quem gignit Amygdalus arbos,
  Præbeat huic calathos ut uia lecta, facit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Hoc auido quamuis non reſpondere uidetur
Munus, id haud precij nullius eſſe uidet.
Conſulit ergo boni, quam nulla pecunia mercem
Emerit, inq; forum ſpe celer æris abit.
Venditor ut preicum ſic lucra ſequentia cogat,
Cumq; alijs uentri debita rebus emat.
Obuius huic ſe ſed properanti Atlantius offert,
Et priùs ut prædam diuidat ille, monet.
Hîc fore promiſſi memorem ſe callidus inquit
Ruſticus, (ut dixi) dimidiumq; dabo.
Nucleus inde Deo datur huic, & uile putamen,
Quale ſuum fructus nominis huius habent.

EPIMYTHION.

Multi, participes cùm fiunt dante bonorum,
Accepêre quòd hæc, non meminêre, Deo.

DE PATRE ET FILIO.

Qui patris unus opum eſt adoleſcens diuitis hæres,
Hũc moriens partis parcat ut, ille monet.
Vtq; paterna uigil curis & auita tuendi
Hæc bona, nunc quorum ius habet, eſſe uelit,
Et procul ad ſeros ea conſeruare nepotes,
Ac nihil his adimi ſedulitate ſinat.
At Sene defuncto patrios proſcribere fundos
Mox deſiderio filius audet opum.
Incipit hoc pacto cui magna pecunia cogi,
Creſcere quam quæſtu poſſe ſequente putat.

Elocet

Elocet ille alijs cautè ſi fœnore partem,
Et ſi mercis opes parte frequentis emat.
Debitor uſuram, ſed cùm, ſortemq; negaret,
Emptaq; iacturam perpeterentur aquis.
Et digno merces non poſſent ære reuendi,
Hunc inopem triſti ſors ea fine facit.
Ad bona tum ſerò parat ille paterna reuerti,
Relliquiæ quorum copia pauper erant.
Sic bene uiuendi eſt huic cùm neglecta facultas,
Cogitur eſſe miſer paupere deinde domo.

EPIMYTHION.

Res eſt grata Deo monitis parere parentum,
Et, tibi quas hi dant, ſi tuearis opes.

DE VENATORE ET VVLPE.

Dum Venatores nequicquam indagine ſaltus
Circundant, toto ſic abeunte die:
Retibus hi poſitis quia nil cœpêre ferarum,
Impendente domum nocte redire parant.
Inſidias tum Gallinis intendere Vulpem
Agricolæ cernunt protinus ante caſam.
Immiſere canes illi, uotoq; potiti,
Non uacui redeunt hac ratione domum.

EPIMYTHION.

Fortuito bona ſæpè ſolent contingere caſu,
Quæ tibi non ullo pacta labore forent.

DE FVRTO INDICATO.

Vaſa dolo quidam celans argentea foßis,
Ignoto lateant condita fure facit.
Tempore pòſt longo, tamē hoc cùm fama taceret,
Vendere, qui furtim ſuſtulit, auſus erat.
Fraus inſperatum ſic prodidit agnita Furem,
Res adeo uero nulla docente latet.

EPIMYTHION.

In lucem profert uerum experientia tandem,
Inquirente diu nemine tale licet.

MONEDVLA.

Eſt auis indulgens re teſte Monedula furtis,
A uicio tali nomen habere patet.
Quod furtim ſoleat nitidas auferre monetas,
Res ea cui reliquas propria præter aues.
Illarum una piè cùm caſtigata fuiſſet,
Temperet à furtis matre monente ſibi.
Eſſe ſuum uicijs ait his incumbere ludum,
Quo ſibi nil rerum dulcius eſſe refert.
Matre docente malam rem tales eſſe rapinas,
Nuncquid & hunc ludum luſerit ipſa, rogat.
Quæ luſiſſe refert: ſed deſueuiſſe rapinis
Maturè, faciat quod quoq; nata monet.
Quæ faciam tum dicit, erit mihi quando ſenectus,
Fac tamen hac poßis, filia, mater ait.

Namq;

Namq; perinde nihil, graue quàm conſueta relin-
Vſibus aßiduum quæ mora fecit opus. (qui,

EPIMYTHION.

Redditur & uicium & uirtus inſignior uſu,
Ne ſtudio facias turpia neúe ioco.

FINIS FABVLARVM ÆSOPICARVM.

Fabula ſæpè recitata à Philippo Melanthone, præceptore meo carißimo, De Serpente, Ruſtico & Vulpe, pulcrè depingens ingratitudinem Mundi.

Abdidit ut cœcis Serpens ſe dira cauernis,
Obruit illarum ſaxea maſſa fores.
Ruſticus ergo, ſpecum caſu qui præterit illam,
Poſcitur oppreßi uoce Draconis opem.
Simplicitate rudem fallunt promiſſa Colonum,
Pollitici flecti ſe ratione ſinit.
His ego pro meritis magnatum more rependam
Dona, Draco lapidum monte ſepultus ait,
Amouet obiectam molem ergo uiator ab antro,
Ianua ſerpenti præbet aperta uiam.
Debita promißi quam præmia lege cauernis
Egreſſam agricolæ uerba modeſta petunt.

Cui ſerpens: nos nulla tenent obliuia noſtri
Polliciti, dixi quæ mea dona, feres.
Munera magnatum dare me tibi uelle recepi,
Hi bene de ſeſe, qui meruêre, necant.
Hanc tibi noſtra pari mercedem fœdera debent
Iure, mori quo te non prohibente decet.
Deſperare uirum hæc adigit uox penè ſalutem,
Quem tamen his uitæ uocibus armat amor:
Deſine crudeli mortem mihi cæde minari,
Non hæc polliciti ſumma prioris erat.
Dat reſponſa Draco: Verborum quiſq; ſuorum
Interpres, quæ nil, hoc niſi, uelle probo.
Ruſticus urgeri promiſſa doloſa ſtupeſcit,
Supplicijq; moram uoce gemente petit.
Et conſulta rogat dirimant animalia litem,
Quorum iudicio cedere promtus adeſt.
Annuit id Serpens, procul itur ut ergo per agros
Languentem ſenio fortè tuentur equum.
Cuius ut inquirunt fortunam, uoce docentur
Ipſius, indigno penè labore mori.
De domini ille queri facto tum cœpit iniquo,
Quo nihil exilium triſte morante ferat.
Dumq; ſenecta neget ſolutas ſibi languida uires,
Eſſe perire modo deteriore ſuum.
His ait auditis Serpens: periture uiator,
Iudice conuinci téne negabis Equo?
Hæc terrore graui ſententia lata Colonum
Occupat, & uitæ ſpem ſupereſſe negat.

Tactus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Tactus ut attonitam trahit olim fulmine mentem,
  Sic quatit agricolæ territa corda pauor.
Vt tamen ad ſeſe redit, hanc animalia cauſam
  Plura ſua dirimant cognitione, petit.
Hæc quoq; uerba Draco, quia pondus habere ſine-
  Vicinum morti conſuluêre canem. (bat,
Forſan adire domum qui non audebat herilem,
  Pulſus ob annorum triſte furenter onus.
Accuſans eadem qui dat reſponſa ſenectam,
  Quæ dedit antè ſenis lingua duobus Equi.
Vnde ſuum Serpens ius ſæua minacius urget,
  Cui tamen opponi Ruſticus ore poteſt.
Aure notat litem Vulpes uicina duorum,
  Iudicis accurrens officiumq; petit.
Et monet ambo ſuam cenſuram ſponte capeſſant,
  Quàm uult iuſticiæ pro ratione ſequi.
Ergo Dracone grauem ſimul accipit indice cau-
  More ſuo Vulpes eſſe doloſa parat. (ſam,
Vt repetant ſecum perſuadet utriq; cauernas,
  In quibus hunc caſum Vipera paſſa fuit.
Vt tetigêre fores ſpeluncæ prima propinquat
  Serpens, & medium Vulpe ſequente petit:
Sed ſecura doli latebras dum uiſit opacas
  Vipera, ſe Vulpes inde repentè refert.
Cumq; ſequi nequeat pede trux ueloce ſat anguis,
  In maiora malo damna priore uenit.
Ruſticus admotis mox obruit oſtia ſaxis
  Antri, Vulpis opem cui dolus arte tulit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Vlta feram ſic eſt Colubri uerſutia fraudem,
Ruſticus indignè qua periturus erat.
A nece liber abit ſic auxiliante Colonus
Vulpe, uirum redimens quæ tamen ipſa perit.
Nam dum forſan aues promiſſas nocte petitum
Venit, ab agricolæ coniuge paſſa necem eſt.

EPIMYTHION.

Quo uitam reddente tulit, necat alter eundem,
Sæpè pijs meritis gratia nulla redit.

PHILIP: MELANTH.

Mus breuis & ſaliens in gurgite Rana paluſtri
Dum nulla cauſa prælia ſtulta cient:
Fulmineo pugnas Iouis ira fragore diremit,
Et tandem fugiens agmen utrumq; perit.
Sic modo dirà ſerunt ex bellis bella Tyranni,
Nec res, ſed cœcos armat utrinq; furor.
Peſtiferiq; magis Thebana ſphinge Sophiſtæ
Verba uenenato friuola felle linunt.
Aſpicit hæc uindex oculis Deus omnia iuſtis,
Nec, graue cùm ſparget, fulmen inermis erit.
Gnate Dei bonitate tua mala tanta leuato,
Et ſerues cœtus Chriſte, regasq; tuos.

CLARISSIMO VIRO, VIRTVTE, DOCTRINA, ET SAPIENTIA PRÆſtanti, D. Henrico Rybiſch, I. V. Doctori, & inuictiſsimi Romani Imperatoris Ferdinandi Conſiliario, Domino ſuo colendo S. P. D.

Quo terreſtre modo genus ad certamina Mures,
Et Ranæ ueniant nata palude cohors:
Muſa faceta iocis doctè ludentis Homeri
Ridiculum Graio carmine fecit opus.
Robore Rana ualens, agili Mus corpore pugnam
Suſcipit, effuſo ſanguine riuus abit.
Strennuus exemplo dum ſæuit uterq; Gigantum
Miles, & hæc totum pugna ſecuta diem eſt.
Inſtructas acies humano more uideres,
Armorum reſonans aura fragore tonat.
Hoc Graiũ ille quibus numeris opus edidit autor,
Nos iiſdem Latium fecimus eſſe modis.
Seria ludendi dum pingit imagine uates,
Fabula res uarias plena lepore docet.
Quod Phrygis Æſopi picturis dulcius orbis,
Aut opus ingenij nobilioris habet?
Sic dum monſtra refert uarias imitata figuras
Naſo, ſit hoc ſcripti multa monentis opus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

An, quam Rana colens cum Mure ſalace paludes
Suſcipit, inuento pugna ſagace caret?
Nam figmenta putes ut inanem dulcia luſum,
Vtilitate tamen non caritura leges.
Illa ioci pingunt uarios ſub imagine caſus,
Res quibus humanæ ſe dare ſæpè ſolent.
Has Latio dulces donaui carmine nugas,
Quas tibi mittendas clare Rybiſce puto.
Vt, cùm re nequeam, uerbis oſtendere poßim,
Quòd ſit adhuc nobis mens ſtudioſa tui.
Cùm caput Elyſiæ ueni ditionis ad urbem,
Te conuiua ſat hìc hoſpite lautus eram.
Ignoto quamuis mihi declarare fauorem
Impulit haud dubijs gratia mira notis.
Tantus es ingenio, qui nomine tantus auorum,
Et celebri famæ tantus honore tuæ.
Qui tam diues opum, tam clari nominis autor,
Tamq; bonis patria carus in urbe uiris.
Quiq; iuuas felix Romani Cæſaris aulam
Conſilijs, quorum ferre teneris opem.
Quiq; ſagax rerum tractare negocia calles,
Iuris agi quæ uim uoce docente uolunt.
Ingenij talem cùm dona ſagacia reddant,
Sitq; tibi ſummi laus tribuenda uiri.
Non tamen inflari, faſtuq; tumeſcere noſti,
Hac uirtute nihil rarius eſſe ſolet.
Cauſa Rybiſce meas mouet hæc clarißime Muſas,
Vt ſua grata tibi dona futura putent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Quæ cum Mure tibi tentantem prælia Ranam
Ridiculi mittunt non leue Martis opus.
Quæ, ſi ferret egena domi ſors, mittere mallent
Pro Ranis Phryſiæ de grege gentis equum.
Nunc, quæ non dant hæ, niſi te rationê colendi,
Pro candore boni conſule parua tuo.

Hieronymus Oſius.

HOMERI PV-
GNA RANARVM,
ET MVRIVM.

Aönidũ incipiens canere ex Helicone Dearum
Pectoris in penetrale mei oro numina migrẽt,
Vt,paulò antè ſuper genibus quæ uerba notaui,
Nõ leue Martis opus,nõ paruam exponere litem,
Et cupidas hominum poßim uulgare ſub aures.
Mouerit in Ranas Mus uictor ut arma paluſtres,
Terrigenûm æquandi quaſi facta furore Gigantũ.
Sermo uiris erat,hoc cui principium extitit olim:
Mus ſitiens, ut tendiculæ uim uitet acerbam,
Stagna petens tenerã rigat hauſto flumine barbã,
Sorbentemq; iuuant miſti ceu melle liquores.
Limnocharis claro quem uiſum affatur ad undas
Nomine: Tu quis, & unde,ſatum quo ſanguine iactas?
Omnia uera refer,nil ut te fingere diſcam,
Si dignum agnôrim,ſub amœna palatia ducam,
Et tum grata tibi, tum dona frequentia promam.
Rex ego clarus auis Phyſignathos, aula paluſtris
Me colit, imperij Ranas ego lege guberno.
Meq; potens Peleus,ac Hydromeduſa parentes
Ad uiridem Eridani fluuium genuêre, ſed ipſum
Te quoq; ſigna probant pulcrum,fortemq; tuenti
Ante alios, Regemq; aſſuetum fortibus armis.
Ergo age uoce tuam nobis ediſſere ſtirpem.
Mus huic Pſicharpax ſua dat reſpõſa roganti:

Laude

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Laude domum ignotam nulli quid amice requiris
Aut hominumúe, Deumúe, auiũue natare per au=
Natarũ? ipſe uocor Pſicharpax, regia proles (ras
Magnanimi ſum Troxartæ, is me matre creauit
Lichomyle, quæ Pternotroctæ filia Regis.
Lignea ciſta locum dabat, hic me mater alebat.
Ficus erant mihi, nuxq; cibi, quos copia fudit.
Sed natura modo tibi me quo iunget amicum?
Moris aquas habitare tibi eſt, mihi carpere, gau=
Qualia mortales, bona, paſci pane uolenti (dent
Promens ter piſtam non denegat arca farinam,
Non etiam extenſam mihi de ſiſamide placentam.
Nec deeſt perna mihi, tunicis redimita nec albis
Hepata, preſſus item niueo de lacte recenti
Caſeus, & grati uel Dijs ex melle liquores.
Quin quaſcunq; dapes hominũ ad conuiuia nôrũt
Arte parare coci, & uariè condire ſaporem.
Terga fugæ non do belli graſſante tumultu,
Ancipitem in primo quin exequor agmine pugnã,
Nec fugio ipſe uirum, qui uaſtos exhibet artus,
Sed lectũ clàm nocte peto, & pede mordicus ad=
Arrepto, nec habere uirũ labor inde uidetur. (ſum
Nec iucunda quies hunc me rodente relinquit.
At duo me miſerum ſine fine pericula terrent,
Accipiter, feliſq;, mouẽt magnum ambo timorem.
Decipulæ inſidias etiam, mors unde, paueſco.
Sed diram timeo plus, quàm mala cætera, felem,
Nos etiam irreptans quæ ſæpè foramina captat.

Braſsica,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Braßica,ſeu raphani me,ſiue cucurbita Murem
Nulla iuuat,uirides betæúe,apijúe ſapores,
Dona cibum uobis dant hæc habitantibus undas.
Orſus ad hæc ibi ſubridens Phyſignathos inquit:
Ventris amice bona oſtentas, & qualia uaſti
Suppeditant miranda mihi campi,atq; paludes.
Terra cibum nutu Iouis exhibet,undáq; Ranis,
Et ſaltare licet per humum, abdere corpus et un-
Si luſtrare iuuat,facilis labor illa uidendi. (dis,
Te mea terga uehent,tu,ne excutiare,cauebis,
Vt lætum excipiat te regia noſtra ſub undis.
Finijt has uoces: mox terga leui ardua ſaltu
Occupat,& teneram ceruice prehendit ituræ
Mus utráq; manu,uicino gaudia portu
Primùm exercebant quem delectante natatu.
At iam cœruleis lacrymans quia mergitur undis,
Stulticiam ſerò mutans ab fronte capillos
Diripit,& ſtringẽs pede uentrem hærere laborat
Nequicquam, et terram uult corde pauente tueri,
Datq; graues gemitus urgente timore pericli.
Viſus eunte ſuo ceu remum ducere caudam
Eſt uectore,Deos orans contingere terram
Fruſtra,cœruleas magno clamore ſub undas
Merſus,in autorem necis hæc ſua uerba profatur:
In tergo per aquas onus haud ita geßit amoris
Taurus,ubi Europen Cretæ tramiſit in oras:
Me ue ut hærentem ſub tecta paluſtria uectas.
Ergo leuans altè pallentem è flumine Murem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Rana notat uiſu monſtrum huc immane Draconē
Tendere, & erectam ceruicem extare per undas,
Quo uiſo perculſa redit mox illa ſub amnem,
Haud reputans qualem dare leto poßit amicum,
Stagna migram fugiēs mortem alta ſubiuit aqua.
At miſer excutitur tergo reſupinus in undas (rū.
Mus, ſtringensq; manus gemitu iam ſtridet inani.
Nunc imas ſubit, ad ſummas nunc nititur undas,
Calcitrat, at mortem uitandi nulla facultas.
Grāde madore comas onus, ægros haurit et artus:
Immoriturus aquis hanc edidit ergo querelam:
Non hæc auſa Deos Phyſignathe dira latebunt,
Excutis è dorſo me ceu de rupe ſub undas,
In terra prior ipſe meis non uiribus eſſes,
Pancration, luctámue licet, curſumúe moueres,
Quòd me linquis aquis, uidet en Deus omnia uin-
Muribus effugies haud pœnam ultorib. æquā. (dex
Hæc ubi fatus erat, uitam expirauit in undas.
Lichopinax, quem mollis habet tum ripa ſedentē,
Rem notat exululans horrendum, et murib. index
Cædis abit, ſors illa grauem quibus excitat iram.
Vnde ſuos mittunt præcones, uoce moneri
Quippe iubent quorū, Troxartæ manè frequentet
Gens Murina patrem Pſicarpagis amne peremti,
Nare ſupinus aquis qui poßit inane cadauer,
Nec iuxta ripas, medijs ſed in æquoris undis.
Ergo ſub auroram Mures coïêre uocati,
Troxartes quibus orſus ait de funere Nati:

Dira ſeram quamuis Mures mala ſolus amici
Per Ranas, ſors una tamen mecum excipit omnes.
Tres miſer amiſi triſti diſcrimine Natos.
Inſidijs primum clàm felis adorta peremit,
Ex ipſis raptum generi huic infenſa cauernis.
Fraude grauì necuêre uiri crudeliter unum,
Quorum inuenta, dolis eſt lignea machina quædã,
Decipulam dicunt quam factam perdere Mures.
Tertius & patri, & caſtæ ſpes unica matri,
Strangulat hunc imis merſum Pyſignathos undis.
Ergo agite arma feros ſocij moueamus in hoſtes,
Dædaleis & tota cohors ſe muniat armis.
Hæc ait, armari cunctos iubet una uoluntas.
Robora Martis amor, curæ cui bella, miniſtrat.
Vnde nouas ocreas ante omnia cruribus aptant,
De uiridi faciunt quas cortice ritè fabarum,
Hi quas rodendo uigiles de nocte cauârant.
Pectus arundineis calamis thoraca gerebat
Contextum arte recens occiſæ è tergore felis.
Cornea ſed clypeum dat pars auulſa lucernæ.
Haſtam Martis opus quoq; lõga miniſtrat ahenum
His acus, & galeæ caua de nuce tegmina fiunt,
Magnanimos uideas Mures hæc arma mimari.
Hoc ubi fama docet Ranas, mox amne relicto
Conſilium belli de rebus inire laborant.
At dum perpẽdunt, moueant hunc unde tumultũ
Mures, præco cito pede ſceptriger imminet illis,
Qui patre Tyroglypho fuerat ſatus, Embaſichy-
tros.

Nunciat

Nunciat ille minas hoſtiles talia fando:
O Ranæ bellum graue me præcone minantur,
Vos tentare iubent ſecum qui prælia, Mures.
Æquoreis merſum Pſicharpaga uidimus undis,
Quem Rex cœde tulit Phyſignathos, ergo tueri
Vos certate, uiget præſens ſi in pectore uirtus.
Hæc effatus abit, quæ uox ubi contigit aures
Ranis, magna metus trepidi fit cauſa, ſuperbis,
Ob cædem quibus iratis Phyſignathos inquit:
Non ego ſubmerſi, uidiue mori æquore Murem,
O Ranæ ipſe tulit ludens in littore mortem,
Æmulus æquandi Ranarum more natatus,
Me necis autorem falſò gens improba fingit.
Ergo dolis uſos delendi occaſio Mures
Inuenienda, decet periuram excindere gentem,
Ipſe, quod eſſe putem non rebus inutile, dicam:
Cunctos muniri ſolitis nos expedit armis
Ad ripam, præceps ubi terra locū exhibet aptum.
Vt, procul in nos quem mouet impetus acer eundi,
Hunc prenſum galea, prope dū ferus imminet, ho-
Præcipitem exuuijs ſpoliatū demus in undas. (ſtem
Hac iuuet exortes ui ſuffocare natandi,
Muribus & cæſis nos pulcra trophæa ſequentur:
Hæc ubi dixit, amor ſubit omnibus arma gerendi.
Hinc maluæ folijs circundare crura laborant.
Pro thorace tegunt uirides & pectora betæ,
Et folijs habile aptatis fit braßica ſcutum.
Lancea iuncus erat mucrone tremendus acuto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Teſta caput teneræ circundat idonea conchæ.
Iamq; petunt ſummas tentando prælia ripas,
Et uibrant haſtas, animi ingens cuilibet ardor.
Territus ad cœli ore Deos en Iupiter arcem
Conuocat, & numerũ bellantũ, & robur, et iram,
Quamq; gerant longas humeris altè, indicat, ha-
Centauri moueant ui quali, aut bella Gigãtes. (ſtas
Suauiter hinc ridens qui Ranas, quiq; Deorum
Ille iuuent Mures rogat, affaturq; Mineruam:
Me ſata patre putem te Muribus adfore Pallas?
Per ſecreta tui ſaltare ſacraria templi
Auſos? nidor, & eſca iuuant præbentibus aris.
Iupiter hæc, quem ſic affata Minerua uiciſsim:
O pater autor opis uexatis Muribus adſim,
Fas erit, unde mouent mihi dãna profecta dolorẽ?
Dum lychnos olei mihi amore, measq; coronas
Rodunt, illa nimis me quorum audacia turbat.
Fila mihi pulcri triuêre tenerrima pepli,
Quod tenui intexens ego tramam ſtamine neui.
Omne riget laceris filis, me fœnora poſcit
Debita ſutor, & inſtando mihi ſuſcitat iram,
Qui dedit utendam, nequeo quã reddere, tramam.
Verum nec Ranas ideo ipſa iuuare laborem.
Nam ſat firma nec his in me mens, forte recenti
Cùm bello defuncta, grauiq; labore cubarem
Munere dulcis egens ſomni, non rauca tumultu
Turba quieſſe tulit, ſic noctem inſomnis agebam,
Meq; dolor capitis, dum clanguit ales, habebat.

Verùm

Verùm age Dij neutris dignemur adeſſe iuuando,
Ne noſtrum telo quem uulneret ictus acuto.
Comminus arma gerent, uel ſi Deus obuius ibit.
Nos iuuet è cœli ſpeculari culmine pugnam.
Sic ait. Huic alij non Dij parêre recuſant.
Congregat unde locũ ſubitò congreſſus in unum.
Iamq; duo belli præcones ſigna ferebant,
Et culices uaſtos lituos per inane trahebant,
Signabantq; graui pugnæ clangore tumultum,
Ipſe tonante ſimul quem Iupiter axe iuuabat.
Per iecur Hypſiboas uictor Lichenoris haſtam
Traijcit, in primo dum ſuſcipit agmine pugnam,
Polluit ipſe cadens tenerum atro puluere crinem,
Troglodytes iaculo dehinc Peliona peremit,
Cui ualidam in mediũ ferus haſtam pectus adegit.
Excipit hunc mors nigra domans in corpore uitã.
Seuthlæus feriens necat inde cor Embaſichytro.
Artophagus uentrem Polyphoni ſauciat ictu.
Pronus humi unde labat, moxq; artus uita relin-
Limnocharis, quia fata notat pereũtis amici (quit
Troglodyten ſaxo quatit, haud mora tarda, molari
In medio collo, hinc oculi ambo hauſêre tenebras.
Lichenor teretem auſa notans hic dirigit haſtam,
Quæ nec aberrabat, partemq; per epatis ibat.
Crambophagus cernens id in imas deſilit undas,
Non impunè tamen, ſub aquis quia percutit ictu
Idem uictor, & extincti cruor inficit amnem,
Qui quoniam perpeſſus ibi eſt in flumine mortẽ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Et pingues uenas huic fluctus, & ilia iactant.
Limniſius uitaq́; Tyroglyphon orbat, & armis.
Pternoglyphū cernens Calaminthius extimet ho-
Abijciensq́; metu clypeū celer inſilit undas. (ſtem,
Pternophago Hydrocharis uitā necis eripit autor
Ceruici illidens graue ſaxum, hinc ſparſa cerebri
Per nares pars eſt, & terra cruore madebat.
Lichopinax uacuum ſed crimine Borborocœten
Contorquens haſtā ferit, hinc mors occupat illū.
Praſſophagus prenſum pede mergēs Cniſſodioctem
Amne, manuq́; tenens collum ſuffocat in undis.
Pſicharpax ſocios ulciſci cæde peremtos
Ardens per iecur ecce ferit Peluſion armis,
Qui cadit ante pedes, animā niger excipit orcus.
Pelobates notat, atq; luti coniectat in hoſtem (uat,
Maſſam, & cōmaculans faciem propè lumine pri-
Cui mouet hic iram pudor, ingenti unde prehēdit
Grande manu ſaxū mox, quod graue cāpus habe-
Quo dum Pelobaten petit, ictu fracta ſupinū (bat,
Tibia dextra pedum collabi in puluere cogit.
Craugaſides uerò ire parat mox ultor in hoſtem,
Cui mediam iunco penetrante ſecabat acuto
Aluum, effuſa ferunt huic inteſtina labanti
In terram, cùm craſſa manus longā intulit haſtam,
Sitophagus quam forte notans in margine cædem
Bella fugit claudo pede, quem metus acris agebat,
In foſſam ſaliens ut mota pericula uitet.
Troxartes ferit & Pſyſignathon in pede ſummo,

Qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Qui licet inde fugam tentârit inire ſub undas,
Hunc cùm ſemianimem tamen ille natare uideret,
Inſultare recens parat ipſi, & demere uitam.
Semiſepulta uidet ſocium ſed membra trahentem,
Et petit ante aciem iunco Praſſæus acuto
Hoſtem, aſt haud ſcuti cratem ille ſecare ualebat,
Mus erat en iuuenis, quo non præſtantior alter,
Artepibuli armis clari haud ingloria proles,
Ipſum quem Martem eſſe putes, Meridarpaga di-
Omnibus unus erat qui belli inſignior uſu. (cunt,
Stabat is ad ſtagni, & reliquis uicinior undas,
Excidiumq́; minabatur lacrymabile Ranis,
Remq́; ſecuta fides, tantum illi roboris, eſſet,
Nî pater auſa Deûmq́;, hominũq́; ſtupẽda notaſſet
Et mala Ranarum miſeratus acerba fuiſſet.
Ipſe caput mouet, & talem incipit edere uocem:
O Dij triſte notant oculi hoc opus eſſe futurum,
Stans non ipſe parum Meridarpax terret ad am-
Magna trucidandi Ranas cui mota cupido. (nem,
Pallada me mitti, ſeu Martem iudice fas eſt,
Egregium pugnare uetent qui robore Murem.
Iupiter hæc, cui Mars reſponſa dat ore uiciſsim:
Nec uim Pallas habet, nec ego in certamina tantã,
Exitij poſsimus ut his auertere cauſam.
Verùm age nos omnes agat una cupido iuuandi,
Siue tuum ſpargas, quo olim occubuêre Gigantes,
Telum, quoq; potens Titanum exciſa prop[...] eſt.
Enceladũ uinxti, et genus horũ immane c[...]is.

Sic ait. At rutili ſpargendo fulminis ignem
Iupiter, antè tonans, magnū tremefecit Olympū,
Vi torquente ſuum cùm formidabile telum
Iecit, idemq́; manu miſſum iaculante uolauit,
Maximus hinc Ranas, & Mures terror agebat.
Muribus haud pugnæ ſed dira cupido quieuit.
Ardent inuiſam Ranarum excindere gentem,
Sed miſeratus opem fert his moderator Olympi,
Ocyus auxilij qui ſpem, uiresq́; miniſtrat.
Nam ciet, incudes quorum uelut ardua geſtant
Dorſa, manus uncæ, quibus & ueſtigia greſſum
Obliquant, & acus peracutas ora minantur.
Purpureamq́; cutem oſtentant, teſta oſſea munit,
Lataq́; terga, notis humeri rutilantibus ardent,
Blæſi, neruoſæq́; manus, à pectore ſpectant
His oculi, octopedes, manuumq́; labore prehendi
Haud facili poſſunt, hos dicunt nomine Cancros.
Muribus hi caudas incidunt ore, pedesq́;,
Atq; manus, aciem haſtarum ſed dura retundunt
Dorſa, graui Mures fruſtra quas robore torquent,
Inq́; fugam uerſi ſunt, & Sol occidit umbris.
Vno geſta die ſic prælia tanta quiêrunt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

IV R.
ignem
ecit Olympū,
telum
uolauit,
rror agebat.
o quieuit.
e gentem,
or Olympi,
ſtrat.
ua geſtant
ia greſſum
nantur.
ſſea munit,
bus ardent,
ctant
e prehendi
ine Cancros.
ſq;,
retundunt
re torquent,
umbris.
nt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]

2156.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2156 8° [48,-95]